



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sancti Gregorii Papæ Primi Cognomento Magni Opera

In Tres Tomos Distributa. Ex quamplurimis MSS. Codicibus emendata ;
Additæ Sunt Quædam Notæ in Dialogos & Epistolas ejusdem S. Gregorii

Gregor <I., Papst>

Lutetia Parisiorum, 1675

Sancti Gregorii Moralis Expositionis In Beatum Iob, Liber Trigesimus
Primus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74915)

pter utrosque enim datur, sicut divina voce Paulo apud Corinthios dicitur: *Noli timere, sed loquere.* Et paulò post: *Quia populus multus est mihi in hac civitate.* Propter utrosque verò subtrahitur, sicut Heli sacerdos & pravam filiorum cognovit actionem, & dignam increpationis non exercuit vocem; cum profectò futuram esset, ut in mortis supplicio & istos reatus flagitii, & illum silentii pœna multaret. Inter hæc igitur cum vel pro quo sermo datur, vel propter quem subtrahatur, ignoramus: unum est salubre remedium, nec de his quæ alijs magis accepimus, nosmetipsos extollere, nec de eo alterum quòd minus acceperit, irridere; sed

A fixo humilitatis pede, graviter & constanter incedere: quia in hac vita tantò veraciùs docti sumus, quantò doctrinam nobis à nobismetipsis suppetere non posse cognoscimus. Cur ergo quilibet de doctrina superbiat, qui occulto iudicio vel cui quando datur, vel quando cui subtrahatur ignorat? Quamvis enim securitati timor semper longè videatur abesse; nobis tamen nihil est securius, quàm sub spe semper timere, ne incauta mens aut desperando se in vitijs dejiciat, aut extollendo de donis ruat. Ante districti enim ac pii iudicis oculos quantò de se sub spe humiliùs trepidat, tantò in illo robustiùs stat.

SANCTI GREGORII
MORALIS EXPOSITIONIS
IN BEATVM IOB.
LIBER TRIGESIMVS PRIMVS.

CAPUT PRIMUM.

IN paradiso sano homini diabolus invadens superbiæ vulnus infligit; ut qui mortem non acceperat conditus, moreretur elatus. Sed quia divinæ potentia suppetit, non solum bona de nihilo facere, sed ea etiam ex malis quæ diabolus perpetraverat, reformare: contra hoc inflictum vulnus superbiæ diaboli, medicina apparuit inter homines humilitas Dei, ut auctoris exemplo humiliati surgerent, qui imitatione hostis elati ceciderant. Contra ergo superbientem diabolum apparuit inter homines homo factus humilis Deus. Hunc potentes hujus sæculi, id est, membra diaboli superbiæ, edespiciabilem crediderunt, quò humilem conspexerunt. Vulnus enim cordis eorum quantò magis tumuit, tantò amplius medicamentum vitæ despexit. Repulsa igitur à vulnere superbiorum medicina nostra pervenit ad vulnus humilium. *Infirmi* quippe *mundi elegit Deus, ut confundat fortia:* actumque est cum pauperibus, quod post etiam divites elati mirarentur. Nam dum novas in illis virtutes aspiciunt, eorum, quorum priùs contempserunt vitam, postmodum obstupescere miracula. Unde mox pavidi ad sua corda redeuntes, extimuerunt sanctitatem in miraculis, quam despexerant in præceptis. Per infirma ergo confusa sunt fortia: quia dum in venerationem vita surgit humilium, elatio cecidit superbiorum. Igitur quia beatus Job sanctæ Ecclesiæ typum tenet, & omnipotens Deus prævidit quòd in primordiis nascentis Ecclesiæ, potentes hujus sæculi leve ejus jugum suscipere crassa cordis cervice recusarent, dicat: [*Numquid volet rhinoceros servare tibi?*] Rhinoceros enim indomitæ omnino naturæ est; ita ut si quando captus fuerit, teneri nullatenus possit. Impatiens quippe, ut fertur, illico moritur. Ejus verò nomen Latina lingua interpretatum sonat, in nare cornu. Et quid aliud in nare, nisi fatuitas: quid in cornu, nisi elatio designatur? Nam quia in nare fatuitas solet intelligi, Salomone attestante didicimus, qui ait: *Circulus aureus in naribus suis, mulier pulchra & fatua.* Hæreticam namque doctrinam nitore vidit eloquij respicere, nec tamen sapientiæ apto intellectu con-

gruere, & ait: *Circulus aureus in naribus suis,* id est pulchra & circumflexa locutio in sensibus mentis stulta: cui ex eloquio aurum pender, sed tamen ex terrenæ intentionis pondere, more suis, ad superiora non respicit. Quod secutus exposuit, dicens: *Mulier pulchra & fatua;* id est, doctrina hæretica: pulchra per verbum, fatua per intellectum. In cornu verò, quia elatio frequenter accipitur, Prophetæ attestante didicimus, qui ait: *Dixi iniquis, nolite inique agere, & delinquentibus, nolite exaltare cornu.* Quid ergo in rhinocerotem hoc, nisi potentes hujus sæculi designantur, vel ipsæ in eo summa principatum potestates, qui typho fatuæ jactationis elati, dum falsis exterius instantur honoribus, veris miseris intus inanescunt? Quibus bene dicitur: *Quid superbis terra & cinis?* In ipsis verò iniitiis nascentis Ecclesiæ, dum contra illam divitum se potestas extolleret, atque in ejus necem immensitate tantæ crudelitatis anhelaret, dum tot cruciatibus anxia, tot persecutionibus pressa succumberet: quis tunc credere potuit, quòd illa recta & aspera superbiorum colla sibi subjeceret, & jugo sancti timoris edomita, mitibus fidei loris ligaret? Diu quippe in exordiis suis rhinocerotis hujus cornu ventilata, & quasi funditus interimenda percussa est. Sed divina gratia dispensante, & illa moriendo vivificata convaluit, & cornu suum rhinoceros iste feriendo lassatus inclinavit: quodque impossibile hominibus fuit, Deo difficile non fuit, qui potestates hujus mundi rigidas non verbis, sed miraculis fregit. Ecce enim quotidie servire rhinoceros agnoscimus, dum potentes mundi hujus, qui in vitijs suis fatua dudum fuerant elatione confisi, Deo subditos jam videmus. Quasi de quodam indomito rhinocerotem Dominus loquebatur, cum diceret: *Dives difficile intrabit in regnum celorum.* Cui cum responsum esset: *Et quis poterit salvus fieri?* illico adjunxit: *Apud homines hoc impossibile est, apud Deum autem omnia possible sunt.* Ac si diceret: Rhinoceros iste humanis viribus mansuescere non potest, sed tamen divinis subdi miraculis potest. Unde hinc quoque aptè beato Job sanctæ Ecclesiæ typum tenenti dicitur.

Quod potestates huius seculi in statu suo elatae, nec doctrina, nec ratione, sed miraculis conversa sunt ad fidem Christi.

CAPUT II.

Numquid volet rhinoceros servire tibi?] Subaudis: Ut mihi, qui eum prædicamentis quidem hominum diu resistere pertuli, sed tamen repente, cum volui, miraculis stravi. Ac si apertius dicat: Numquid hi qui fatua elatione superbiunt, sine meis adiutoriis tuæ prædicationi subduntur? Per quem itaque prævaleas considera, & in omne quod prævalet, elationis sensum inclina. Vel certe ad beati Job notitiam pro humilianda ejus virtute deditur, quam mira quandoque per Apostolos agantur, qui mundum Deo subjiciunt, eique edomitam potentiam huius seculi superbiam flecent: ut tantò de se beatus Job minis æstimet, quantò aggregari Deo tam difficiles animas per alios videt. Dicit ergo: [*Numquid volet rhinoceros servire tibi?*] Subaudis, Sicut per eos, quos misero, serviet mihi. Sequitur: [*Aut morabitur ad præsepem tuum?*] Præsepe hoc loco ipsa Scriptura sacra non inconvenienter accipitur, in qua verbi pabulo animalia sancta fatiantur, de quibus per Prophetam dicitur: *Animalia tua habitabunt in ea.* Hinc etiam natus Dominus à pastoribus in præsepi reperitur: quia ejus incarnatio in ea qua nos reficit Prophetarum scriptura cognoscitur. Rhinoceros itaque iste, videlicet omnis elatus in primordiis nascentis Ecclesiæ, cum Patriarcharum dicta, cum Prophetarum mysteria, cum Evangelii arcana audiret, irridebat: quia tantò in prædicatorum præsepi claudi sariarique contemperat, quantò in voluptatibus propriis dimissus, desperationis suæ campum tenebat. Quem superbiorum campum bene Paulus insinuat, dicens: *Qui desperantes semetipsos iradiderunt impudicitia in operationem immunditiae omnis, in avaritiam.* Tantò enim se quisque in malis presentibus latius relaxat, quantò post hanc vitam se assequi bona æterna desperat. Sed omnipotens Deus diu quidem rhinocerotem hunc per pravam voluptatis captum vagantem pertulit, & tamen cum voluit, repente ad suum præsepem religavit: ut vite pabulum bene clausus accipiat, ne vitam funditus malè liber amittat. Ecce enim jam cernimus, quòd potentes huius seculi, ejusque principes prædicamenta Dominica libenter audiunt, constanter legunt, pastique à præsepi non exeunt: quia præcepta Dei, quæ aut legendi, aut audiendo cognoscunt, nequaquam vivendo transcendunt; sed ad verbi pabulum quasi clausi stare æquanimiter tolerant, ut edendo & permanendo pinguescant. Quod cum Deo agente conspiciamus, quid aliud quàm rhinocerotem hunc ad præsepem morantem videmus? Quia verò post acceptum pabulum prædicationis rhinoceros iste fructum debet ostendere operis, rectè subjungitur.

Quod fidei persecutores facti sunt prædicatores, & principes mundi jam subditi nomini Christiano, rebelles quoque qui quasi gleba in Ecclesia campo alios impediunt, ne fructificent Deo, pede potestatis terrena premunt, quos Ecclesia frangere non potuit disciplina.

CAPUT III.

Numquid alligabis rhinocerotem ad arandum loro tuo?] Lora sunt Ecclesiæ, præcepta disciplinæ. Arare verò, est per prædicationis studium humani pectoris terram vomere lingue profcindere. Hic igitur rhinoceros quondam superbus ac rigidus, jam nunc loris fidei tenetur ligatus; atque à præsepi ad arandum ducitur, quia eam prædicationem, qua ipse refectus est, innotescere & aliis conatur.

A Scimus enim, rhinoceros iste, terrenus videlicet princeps, quanta prius contra Dominum crudelitate sæverit, & nunc agente Domino cernimus quanta se ei humilitate subternit. Hic rhinoceros non solum ligatus, sed etiam ad arandum ligatus est: quia videlicet disciplinæ loris astrictus, non solum se à pravis operibus retinet, sed etiam in sanctæ fidei prædicationibus exercet. Ecce enim, sicut superius dictum est, ipsos humanarum rerum rectores ac principes dum metuere Deum in suis actionibus cernimus, quid aliud quàm loris ligatos videmus? Cum verò eam fidem, quam dudum persequendo impugnaverant, nunc prolati legibus prædicare non cessant, quid aliud faciunt, nisi aratri laboribus insudant? Libet videre hunc rhinocerotem, id est, terræ principem fidei loris ligatum, quemadmodum & cornu portat per potentiam seculi, & jugum fidei sustinet per amorem Dei. Tameri iste rhinoceros valde poterat, nisi ligatus esset. Cornu quippe habet, sed ligatus est. Habent ergo in loris ejus quòd humiles diligant, habent in cornu ejus quòd elati pertimescant. Strictus enim loris, servat pietatem mansuetudinis, sed fulsus cornu terræ gloriæ exercet dominium potestatis. Plerumque autem cum exigente ira ad ferendum rapitur, divino timore revocatur. Et quidem per exasperatam potentiam in furorem se elevat; sed quia æterni iudicis reminiscitur, cornu ligatus se inclinat. Sæpe ipse vidisse me memini, quòd cum se ad ferendum graviter hic rhinoceros accenderet, & quasi elevato cornu bestiolis minimis mortes, exilia, damnationesque subjectis immensis terroribus intenderet, repente fronti signo crucis impresso, omne in se incendium furoris extinxit, conversus minas deposuit: & quia ad deliberata progredi non posset, ligatus agnovit. Et non solum in se iras edomat, sed in subditorum etiam sensibus omne quod rectum est, inferere festinat: ut quia omnes sanctam Ecclesiam ex intima cogitatione venerunt, exemplo ipse suæ humilitatis demonstret. Dicitur igitur beato Job: [*Numquid alligabis rhinocerotem ad arandum loro tuo?*] Ac si apertè dicat: Numquid potentes huius seculi in sua fatua elatione confidentes, ad laborem prædicationis dirigis, & sub disciplinæ vincula restringis? Subaudis, Ut ego, qui id egi cum volui, qui persecutores meos, quos prius hostes pertuli, ipsos postmodum rectæ fidei defensores feci. Sequitur: [*Aut confringes glebas vallium post te?*] Solent excultæ terræ superiacentes glebæ jactata semina premere, & nascencia suffocare. Quibus glebis hoc loco illi finguntur, qui per duritiam suam atque pestiferam vitam, nec ipsi semina verbi recipiunt, nec receptorum seminum fructus alios ferre permittunt. Sanctus enim quisque prædicator in mundum veniens, evangelizando pauperibus, quasi molles vallium terras araverat: sed quorundam duritiam elatorum Ecclesia rumpere non valens, eos quasi superjectas labori suo glebas oppressa tolerabat. Multi enim perveris mentis ipsa terrenorum Principum infidelitate confisi, surgentem Ecclesiam malè vivendi pondere premebant, cum diu quos possent modò damnabilibus exemplis, modò minis, modò blandimentis destruerent, ne terra cordis auditorum, ad spiritalis seminis fructum exculta perveniret. At cum omnipotens Deus hunc rhinocerotem loris suis subdidit, per eum illico glebarum duritiam frangit. Mox quippe terrenum principatum suæ fidei subjugavit, dura persequentium corda contrivit, ut quasi contractæ glebæ non jam obduratæ premerent, sed ad percepta verbi semina resolutæ germiarent. Unde rectè nunc ait: [*Aut confringes glebas vallium post te?*] Ac si diceret: sicut post me, qui postquam mentem cujuslibet elatæ potestatis ingredior, non solum eam mihi subditam reddo, sed etiam

etiam ad conterendos fidei hostes exerceo, ut potentes huius sæculi meæ formidinis loris ligati, non solum in me credentes permaneant, sed & pro me alieni cordis duritiam zelantes frangant. Hoc autem quod de infidelibus diximus, in plerisque etiam qui fidei nomine censentur, videmus. Multi namque in medio humilium fratrum positi, fidem verbotenus tenent, sed dum elationis typhum non deserunt, dum quos possunt illatis violentiis premunt, dum fructificantis aliis ipsi nequaquam semina verbi recipiunt, sed ab exhortantis voce aurem cordis avertunt: isti quid aliud, quam obduratæ glebæ in exaratis vallibus facient: Qui eò nequiores sunt, quò nec ipsi humilitatis fructum proferunt, & quod est deterius, proferentes humiles premunt. Ad horum duritiam dissolvendam nonnumquam sancta Ecclesia, quia propria virtute non sufficit, rhinocerotis huius, id est, terreni Principis opulationem quaerit, ut ipse superiacentes glebas conterat, quas Ecclesiarum humilitas quasi planities vallium portat. Has itaque glebas rhinoceros pede premit ac comminuit; quia pravorum potentiumque duritiam, cui Ecclesiastica humilitas resistere non valet, principalis religio ex potestate dissolvit. Quod quia sola divina virtute agitur, ut terreni regni culmina ad profectum regni caelestis inclinentur, rectè nunc dicitur: [*Aut confringer glebas vallium post te?*] Ut verò de suis virtutibus beatus Job humilia sentiat, & adhuc de huius mundi potestatibus sub rhinocerotis nomine sublimia cognoscat, sequitur: [*Numquid fiduciam habebis in magna fortitudine eius, & derelinques ei labores tuos?*] In rhinocerotis fortitudine fiduciam Dominus habere se asserit; quia vires, quas temporaliter terreno Principi contulit, ad cultum suæ venerationis inclinavit: ut ex accepta potestate, per quam dudum contra Deum tumuerat, religiosum nunc Deo obsequium latius impendat. Quò enim in mundum plus potest, eò pro mundi auctore plus praevalet. Nam quia à subiectis ipse metuitur, tantò facilius persuadet, quantum & cum potestate indicat qui verè metuitur. Dicatur ergo: [*Numquid fiduciam habebis in magna fortitudine eius?*] Ac si diceretur: Ut ego, qui vires terrenorum Principum meo cultui servituras aspicio. Tantò enim ea quæ nunc agis, minoræ aestimo, quantum jam prævideo, quia & majores huius mundi mihi potestates inclinabo. Bene autem subditur: [*Et derelinques ei labores tuos?*] Labores enim suos huic rhinoceroti Dominus reliquit, quia converso terreno Principi eam quam sua morte mercatus est, Ecclesiam credidit: quia videlicet in eius manu quanta sollicitudine pax fidei sit tuenda commisit. Sequitur.

Quòd principes huius mundi semen verbi divini multiplicant, dum pro Ecclesia contra hereticos & tyrannos leges promulgant.

CAPUT IV.

Numquid credes ei quòd reddat sementem tibi, & aream tuam congreget? Quid aliud semen, nisi verbum prædicationis accipitur? sicut in Evangelio Veritas dicit: *Exiit qui seminat, seminare*: & sicut Propheta ait: *Beati qui seminatis super omnes aquas.* Quid aliud area, nisi Ecclesia debet intelligi? de qua Præcursoris voce dicitur: *Et permundabit aream suam.* Quis ergo in initio nascentis Ecclesie crederet, dum contra eam ille indomitus principatus terræ tot minis & cruciatibus sæviret, quia rhinoceros iste Deo sementem redderet, id est, acceptum prædicationis verbum operibus repensaret? Quis posset tunc infirmorum credere; quod ejus aream congregaret? Ecce enim modò pro Ecclesia leges promulgat, qui dudum contra eam per varia tormenta sæviebat. Ecce qualibet gentes capere

S. Greg. Tom. I.

potuerit, ad fidei illius gratiam suadendo perducat; eisque æternam vitam indicat, quibus captis præsentem servat. Cur hoc? Quia videlicet aream nunc congregat, quam aliquando superbo cornu dispergendo ventilabat. Audiat igitur beatus Job quid Gentilitatis principes faciant, & nequaquam se apud semetipsum de gloria tantæ suæ virtutis extollat. Audiat & rex potens, potentiores huius mundi reges quanta Deo devotione famulentur, & virtutem suam quasi pro singularitate non trahat in elationis vitium, qui habet in aliis exemplum: quia etsi tunc ei similem Dominus non vidit, multos tamen per quos ejus gloriam retunderet, prævidit. Igitur quia terreni principes magna se Deo humilitate substernunt, pravi homines qui dudum contra Ecclesiam infidelitate positi, aperta adversitate sæviebant, nunc ad alia fraudis argumenta vertuntur. Quia enim illos religionem venerari conspiciunt, ipsi cultum religionis assument, & bonorum vitam sub despectis vestibus iniquis moribus premunt. Mundi quippe dilectores sunt, hocque in se quod homines venerentur ostendunt, atque eis qui verè semetipsos despiciunt, non mente, sed veste copulantur. Quia enim præsentem gloriam amantes assequi non possunt, quasi despicientes sequuntur. Qui quid sentiunt contra bonos ostenderent, si aptum nequitiae tempus invenirent. Sed hæc etiam argumenta pravorum ad electorum salutem proficiunt. Sancta enim Ecclesia transire sine labore tentationis non potest tempora peregrinationis, quæ etsi foris apertos hostes non habet, intus tamen tolerat fictos fratres. Nam contra vitia semper in acie est, & habet etiam pacis tempore bellum suum: & fortasse gravius affligitur, cum non extraneorum ictibus, sed suorum moribus impugnatur. Sive itaque illo, seu isto tempore, est tamen semper in labore. Nam & in persecutione Principum timet, ne amittant boni quod sunt, & in conversione Principum tolerat, quia mali simulant bonos se esse, quod non sunt. Unde omnipotens Deus, quia rhinocerotem huic loris ligatum dixit, illico pravorum hypocrisim subdidit, dicens.

Quòd hypocrite sanctitatis speciem habeant, sed charitatem supernam non habent: & in his quos verbo doctrine gignunt, qua sua sunt quaerunt, non qua Iesu Christi.

CAPUT V.

Penna struthionis similis est pennæ herodis & accipitris. Quis herodium & accipitrem nesciat aves reliquas quanta volatus sui velocitate transcendant? Struthio verò pennæ eorum similitudinem habet, sed volatus eorum celeritatem non habet. A terra quippe elevari non valet, & alas quasi ad volatum specietenus erigit; sed tamen nunquam se à terra volando suspendit. Ita sunt nimirum omnes hypocritæ, qui dum bonorum vitam simulant, imitationem sanctæ conversationis habent, sed veritatem sanctæ actionis non habent. Habent quippe volandi pennas per speciem, sed in terra repunt per actionem: quia alas per figuram sanctitatis extendunt, sed curarum sæcularium pondere prægravati, nullatenus à terra sublevantur. Speciem namque Pharisaorum reprobans Dominus, quasi struthionis pennam redarguit, quæ in opere aliud exercuit, & in colore aliud ostendit, dicens: *Va vobis Scriba & Pharisaï hypocritæ, quia similes estis sepulcris dealbatis, quæ foris quidem apparent bonis, intus vero sunt plena ossibus mortuorum: ita & vos foris apparetis hominibus iusti, intus vero pleni estis avaritia & iniquitate.* Ac si diceret: Sublevare vos videtur species pennæ, sed in infimis vos deprimit pondus vitæ. De hoc pon-

Esai. 4. dere per prophetam dicitur: *Filii hominum usquequo gravi corde?* Hujus struthionis conversurum se hypocritam Dominus pollicetur, cum per Prophetam dicit: *Glorificabunt me bestia agri dracones & struthiones.* Quid enim draconum nomine, nisi in aperto malitiosae mentes exprimuntur, quae per terram semper in infimis cogitationibus repunt? Quid verò per struthionum vocabulum, nisi hi qui se bonos simulant, designantur, qui sanctitatis vitam quasi volatus pennam per speciem retinent, sed per opera non exercent? Glorificari itaque se Dominus à dracone, vel struthione asserit: quia & apertè malos, & fictè bonos plerumque ad sua obsequia ex intima cogitatione convertit. Vel certè agri bestiae, id est, dracones struthionesque Dominum glorificant, cum fidem quae in illo est, ea quae in hoc mundo dudum membrum diaboli fuerat Gentilitas exaltat. Quam & propter malitiam draconum nomine exprobrat, & propter hypocrisim, vocabulo struthionum ^{* al. notat.} vocat. Quasi enim pennas accipit Gentilitas, sed volare non potuit, quae & naturam rationis habuit, & actionem rationis ignoravit. Habemus adhuc quod in consideratione struthionis hujus de accipitre & herodii attentius perpendamus. Accipitris quippe & herodii parva sunt corpora, sed pennis densioribus fulta, & idcirco cum celeritate transvolant: quia eis parum inest quod aggravat, multum quod levat. At contra struthio raris pennis induitur, & immensi corpore gravatur: ut etsi volare appetat, ipsa penarum paucitas molem tanti corporis in aëre non suspendat. Bene ergo in herodii & accipitris electorum persona signatur, qui quamdiu in hac vita sunt, sine quantulocumque culpae contagio esse non possunt. Sed cum eis parum quid inest quod deprimit, multa virtus bonae actionis suppetit quae illos in superna sustollit. At contra hypocrita, etsi facit pauca quae elevent, perpetrat multa quae gravent. Neque enim nulla bona agit hypocrita, sed quibus ea ipsa deprimat, multa perverfa committit. Paucae igitur pennae corpus struthionis non sublevant, quia parvum bonum hypocritae, multitudo pravae actionis gravat. Haec quoque ipsa struthionis penna ad pennas herodii & accipitris similitudinem coloris habet, virtutis verò similitudinem non habet. Illorum namque conclusae & firmiores sunt, & volatu aërem premere virtute suae soliditatis possunt. At contra struthionis pennae dissolutae, eò volatum sumere nequeunt, quò ab ipso quem premere debuerant, aëre transcenduntur. Quid ergo in his aspiciamus, nisi quòd electorum virtutes solidae evolant, ut ventos humani favoris premant? Hypocritarum verò actio quamlibet recta videatur, volare non sufficit: quia videlicet fluxae virtutis pennam humanae laudis aura pertransit. Sed ecce cum unum eundemque bonorum malorumque habitum cernimus, cum ipsam in electis ac reprobis professionis speciem videmus, unde nostrae intelligentiae suppetat, ut electos à reprobis, à falsis veros comprehendendo discernat? Quod tamen citius agnoscimus, si intemerata in memoriam praecceptoris nostri verba signamus, qui ait: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Neque enim pensanda sunt quae ostendunt in imagine, sed quae servant in actione. Unde hic postquam speciem struthionis hujus intulit, mox facta subjungit, dicens: [*Quae derelinquit in terra ova sua.*] Quid enim per ova, nisi tenera adhuc proles exprimitur, quae diu fovenda est, ut ad vivum volatilis perducatur? Ova quippe insensibilia in semetipsis sunt, sed tamen calefacta, in vivis volatilibus convertuntur. Ita nimirum parvuli auditores ac filii certum est, quòd frigidi insensibilesque remaneant, nisi doctoris sui sollicita exhortatione calefiant. Ne igitur derelicti in sua insensibilitate torpescant, assidua doctorum voce fo-

A vendi sunt, quousque valeant & per intelligentiam vivere, & per contemplationem volare. Quia verò hypocrita quamvis perverfa semper operentur, loqui tamen recta non desinunt; bene autem loquendo in fide vel conversatione filios pariunt, sed eos bene vivendo nutrire non possunt, rectè de hac struthione dicitur: [*Quae derelinquit in terra ova sua.*] Curam namque filiorum hypocrita negligit; quia ex amore intimo rebus se exterioribus subdit, in quibus quantum magis extollitur, tantò minus de prolis suae defectu cruciatur. Ova ergo in terra dereliquisse, est natos per conversionem filios nequam à terrenis actibus interposito exhortationis nido suspendere. Ova in terra dereliquisse, est nullum caelestis vitae filii exemplum praebere. Quia enim hypocrita per charitatis viscera non calent, de torpore prolis editae, id est, de ovorum suorum frigore nequaquam dolent: & quantum se libentius terrenis actibus inferunt, tantò negligentius eos quos generant, agere terrena permittunt. Sed quia derelictos hypocritarum filios superna cura non deserit, (nonnullos namque etiam ex talibus intima electione praecitos, largitae gratiae respectu calefacit,) rectè subjungitur.

Quod eos, quos pravorum doctorum negligentia in pulvere peccati inersitatos deserit, gratia Dei calefacit: & sine hominum ministerio, multos desperatos per se Deus visitat & vivificat.

CAPUT VI.

TV forsitan in pulvere calefacies ea? Ac si dicat: Ut ego, quilla in pulvere calefacio: quia scilicet parvulorum animas, & in medio peccantium fitas, amoris mei igne succendo. Quid enim pulvis, nisi peccator accipitur? Unde & ille hostis hujus peccatoris perditione fatiatur, de quo per Prophetam dicitur: *Serpentis pulvis panis ejus.* Quid ^{Esai. 6.} per pulverem, nisi ipsa iniquorum instabilitas demonstratur? De qua David ait: *Non sic impij non sic, sed tanquam pulvis quem projicit ventus à facie terra.* ^{Psal. 1. 4} Ova ergo Dominus in pulvere derelicta calefacit; quia parvulorum animas praedicatorum suorum sollicitudine destitutas, etiam in medio peccantium positas amoris sui igne succendit. Hinc est, quòd plerisque cernimus & in medio populorum vivere, & tamen vitam torpentis populi non tenere. Hinc est, quòd plerisque cernimus & malorum turbas non fugere, & tamen superno ardore flagrare. Hinc est, quòd plerisque cernimus, ut ita dixerim, in frigore calere. Unde enim nonnulli in terrenorum hominum torpore positi, supernae spei desiderijs inardescunt: unde & inter frigida corda succenti sunt, nisi quia omnipotens Deus derelicta ova scit etiam in pulvere calefacere: & frigoris pristini insensibilitate discussa, per sensum spiritus vitalis animare, ut nequaquam jacentia in infimis torpeant; sed in vivis volatilibus versa, sese ad caelestia contemplando, id est, volando suspendant? Notandum verò est, quòd in his verbis non solum hypocritarum actio perverfa reprobatur, sed bonorum etiam magistrorum si qua fortasse subrepsit elatio premitur. Nam cum de se Dominus dicit, quòd derelicta ova in pulvere ipse calefaciat; profectò apertè indicat, quia ipse operatur intrinsecus per verba doctoris, qui & sine verbis ullius hominis calefacit quos voluerit in frigore pulveris. Ac si apertè doctoribus dicat: Ut sciatis quia ego sum qui per vos loquentes operor. ecce cum voluero, cordibus hominum etiam sine vobis loquor. Humiliata igitur cogitatione doctorum, ad exprimentum hypocritarum sermo convertitur, & qua fatuitate torpeat, adhuc sub struthionis facto plenius indicatur. Nam sequitur.

Matt. 7. ^{*} *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Neque enim pensanda sunt quae ostendunt in imagine, sed quae servant in actione.

Unde hic postquam speciem struthionis hujus intulit, mox facta subjungit, dicens: [*Quae derelinquit in terra ova sua.*] Quid enim per ova, nisi tenera adhuc proles exprimitur, quae diu fovenda est, ut ad vivum volatilis perducatur? Ova quippe insensibilia in semetipsis sunt, sed tamen calefacta, in vivis volatilibus convertuntur. Ita nimirum parvuli auditores ac filii certum est, quòd frigidi insensibilesque remaneant, nisi doctoris sui sollicita exhortatione calefiant. Ne igitur derelicti in sua insensibilitate torpescant, assidua doctorum voce fo-

Quod hypocrita nulla sollicitudine infirmis provideant; nec aliquam charitatis affectionem impendant his, quos bestiarum moribus expositos vident: sed duri ad filios, quasi sui non sint, reputant alienos.

CAPUT VII.

Obliviscitur quod pes conculet ea, aut bestia agri conterat.] Quid in pede, nisi transitus operationis accipitur? Quid in agro, nisi mundus iste signatur? De quo in Evangelio Dominus dicit: *Ager autem est mundus. Quid in bestia, nisi antiquus hostis exprimitur, qui hujus mundi rapinis insidians, humana quotidie morte fatiatur? De qua per Prophetam, pollicente Domino, dicitur: Et mala bestia non transibit per eam. Struthio itaque ova sua deserens, obliviscitur quod pes conculet ea: quia videlicet hypocrita eos quos in conversatione filios generant, derelinquunt, & omnino non curant, ne aut exhortationis sollicitudine, aut disciplinæ custodia destitutos, pravorum operum exempla pervertant. Si enim ova quæ gignunt, diligenter, nimirum metuerent ne quis ea perverfa opera demonstrando calcaret. Hunc Paulus pedem infirmis discipulis, quasi ovis quæ posuerat, metuebatur, cum diceret: *Multi ambulat, quos sepe dicebam vobis, nunc autem & stens dico, inimicos crucis Christi.* Et rursus: *Videte canes, videte malos operarios.* Et rursus: *Denunciamus vobis fratres in nomine Domini nostri Iesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè. & non secundum iraditionem quam acceperunt à nobis.* Hunc pedem Joannes Caio formidabat, qui cum multa Diotrophis mala præmississet, adjunxit: *Hunc ipse synagogæ dux infirmo suo gregi metuebatur, dicens: Quando ingressus fueris terram quam Dominus Deus dabit tibi, cave ne imitari velis abominaciones illarum gentium.* Obliviscitur etiam quod bestia agri conterat: quia nimirum si diabolus in hoc mundo sæviens, editos in bona * conversione filios rapiat, hypocrita omnino non curat. Hanc autem agri bestiam Paulus ovis quæ posuerat, metuebatur, dicens: *Timeo, ne sicut serpens Evam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus vestri à charitate, quæ est in Christo Iesu.* Hanc agri bestiam discipulis metuebatur Petrus, cum diceret: *Adversarius vester diabolus, quasi leo rugiens circum, quaerens quem devoret; cui resistite fortes in fide.* Habent ergo veraces magistri super discipulos timoris viscera ex virtute charitatis: hypocrita autem tantò minus commissis sibi metunt, quantò nec sibi metipsis quid timere debeantprehendunt. Et quia obduratis cordibus vivunt, ipsos etiam quos generant filios, nulla pietate debiti amoris agnoscunt. Unde adhuc sub struthionis specie subditur: *[Duratur ad filios suos, quasi non sint sui.]* Quem enim charitatis gratia non infundit, proximum suum etiam si ipse hunc Deo genuit, extraneum respicit: ut profectò sunt omnes hypocrita, quorum videlicet mentes dum semper exteriora appetunt, intus insensibiles fiunt: & in cunctis quæ agunt, dum sua semper expetunt, erga affectum proximi nulla charitatis compassione mollescunt. O quam mollia viscera gestabat Paulus, quando circa filios suos tanto actu amoris inhiabat, dicens: *Nos vivimus, si vos statis in Domino.* & *Testis mihi est Deus, quomodo cupiam omnes vos in visceribus Christi Iesu.* Romanis quoque ait: *Testis est mihi Deus, cui servo in spiritu meo, in Evangelio Filii ejus, quod sine intermissione memoriam vestri semper facio in orationibus meis, obsecrans si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam in voluntate Dei veniendi ad vos: desidero.**

Aro enim videre vos. Timotheo quoque ait: *Gratias ago Deo meo, cui servo à progenitoribus meis in conscientia pura, quia sine intermissione habeam tuam memoriam in orationibus meis, nocte ac die desiderans te videre.* Thessalonicensibus quoque amorem suum indicans, dicit: *Nos autem fratres desolati à vobis ad tempus horæ, aspectum, non corde, abundanter festinavimus faciem vestram videre cum multo desiderio.* Qui duris persecutionibus pressus, & tamen de filiorum salute sollicitus, adjunxit: *Misimus Timotheum fratrem nostrum, & ministrum Dei, ad confortandos vos, & exhortandos pro fide vestra, ut nemo moveatur in tribulationibus istis. Ipsi enim sciitis, quod in hoc posui sumus.* Ephesiis quoque ait: *Peto ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra.* Ecce in tribulatione positus, alios exhortatur: & in hoc quod ipse sustinet, alios roborat. Non enim filiorum suorum fuerat more struthionis oblitus; sed metuebatur nimis ne ejus discipuli in prædicatore suo tot persecutionum proba cernentes, fidem in eo despicerent, contra quam innumeræ passionum contumeliæ prævalerent. Et idcirco minùs dolebat in tormentis, sed magis filiis de tormentorum suorum tentatione metuebatur. Parvipendebat in se plagas corporis, dum formidaret in filiis plagas cordis. Ipse patiendò suscipiebat vulnera tormentorum, sed filios consolando, curabat vulnera cordium. Pensemus ergo cujus charitatis fuerit, inter dolores proprios aliis timuisse: pensemus cujus charitatis fuerit, filiorum salutem inter sua detrimenta requirere, & statum mentis in proximis etiam ex sua dejectione custodire. Sed hæc hypocrita charitatis viscera nesciunt: quia eorum mens quantò per mundi concupiscentiam in exteriora resolvitur, tantò per inaffectionem suam interiùs obduratur: & torpore insensibili frigidescit intrinsecus, quia amore damnabili mollescit foris; seque ipsam considerare non valet, quia cogitare se minimè studet. Cogitare verò se mens non potest, quæ tota apud semetipsam non est. Tota verò esse apud semetipsam non sufficit: quia per quot * concupiscentia rapitur, per tot à semetipsa species dissipatur, & concupiscentia in infimis jacet, quæ collecta si vellet, ad summam confurgeret. Unde iustorum mens, quia per custodiam disciplinæ à cunctorum visibilibus fluxu appetitu constringitur, collecta apud semetipsam intrinsecus integratur: qualisque Deo vel proximo esse debeat, plenè conspicit, quia nihil suum interiùs derelinquit: & quantò ab exterioribus abstracta compefcitur, tantò aucta in intus inflammatur: & quò magis ardet, eò ad deprehendenda vitia amplius luget. Hinc est enim, quòd sancti viri dum se intra semetipsos colligunt, mira ac penetrabili acie occulta etiam aliena delicta deprehendunt. Unde bene per Ezechielem prophetam dicitur: *Emissa similitudo manus apprehendit me in cinctu capitis mei, & elevavit me spiritus inter terram & caelum, & adduxit me in Hierusalem in visione Dei juxta ostium interiùs, quò respiciebat ad Aquilonem, ubi erat statuum idolum zeli, ad provocandam emulationem.* Quid est enim cinctus capitis, nisi collecta cogitationes mentis: ut non sparfe disfluant; sed per disciplinam constructa subsistant? Manus ergo desuper mittitur; & Propheta per cinctum capitis elevatur: quia cum nostra mens sese per custodiam colligit, vis superna sursum nos ab infimis trahit. Bene verò inter terram & caelum sublarum se asserit: quia quilibet sanctus in carne mortali positus, plenè quidem adhuc ad superna non pervenit, sed jam tamen ima derelinquit. In visione verò Dei in Hierusalem dicitur; quia videlicet uniusquisque proficiens per charitatis zelum, qualis esse Ecclesia debeat contemplatur. Bene quoque additur: *Quia juxta ostium interiùs ductus est, quòd red-*

Matt. 13

Eph. 3, 1

Phil. 3, 1

ibid.

2. Thes.

3. Joan. 1, 1

Deut. 18, 1

1. al.

conv.

2. Cor.

11.

Gen. 3, 1

1. Pet. 5, 1

1. Thes.

Phil. 1, 1

Rom. 1, 1

Eze. 8,

11.

11.

11.

11.

11.

11.

11.

11.

11.

11.

11.

11.

11.

11.

11.

11.

11.

11.

11.

11.

11.

11.

11.

aspiciebat ad Aquilonem: quia nimirum sancti viri dum per aditum internæ contemplationis aspiciunt, plus prava intra Ecclesiam fieri quàm recta deprehendunt: & quasi in Aquilonis parte transeunt, id est, ad solis sinistram flectunt; quia contra vitiorum frigora, charitatis se stimulis accendunt. Ubi & rectè subjungitur: *Quia illic erat statuum idolum zeli ad provocandam emulationem.* Dum enim intra sanctam Ecclesiam à nonnullis specie sola fidelibus, rapinas & vitia perpetrari considerant, quid aliud quàm in Hierusalem idolum vident? Quod idolum zeli dicitur, quia per hoc contra nos æmulatione superna provocatur: & tantò districtius delinquentes ferit, quantò nos charius Redemptor amat. Hypocritæ igitur, quia cogitationes mentis non colligunt, per cincinnum capitis minimè tenentur. Et qui sua nesciunt, commissorum sibi quando delicta deprehendunt? Hi itaque torpent à celestibus, ad quæ flagrare debuerant; & flagrant terrenis rebus anxie, à quibus laudabiliter torpissent. Postposita quippe filiorum curâ, sæpe eos videas se contra pericula immensi laboris accingere, maria transmare, adire judicia, pulsare principatus, palatia irumpere, jurgantibus populorum cunctis interesse, & terrena patrimonialaboriosa observatione defendere. Quibus si fortasse dicatur, Cur ista vos agitis, qui sæculum reliquistis? respondent illico Deum se meture, & idcirco tanto studio defendendis patrimoniis insudare. Unde bene adhuc de struthionis hujus stulto labore subjungitur.

Quod hypocrite animarum damna non curant, sed in temporalium rerum jactura anxie perturbantur.

CAPUT VIII.

1. Cor. 13. Frustra laboravit, nullo timore cogente. Illic namque trepidaverunt timore, ubi non erat timor. *Mat. 5.* Ecce enim divina voce præcipitur: Si quis tibi tulerit tunicam, & voluerit tecum judicio contendere, dimitte illi & pallium. Et rursum: Si quis quod tuum est tulerit, ne repetas. Paulus quoque Apostolus discipulos suos cupiens exteriora despiciere, ut valeant interna servare, admonet dicens: *1. Cor. 6.* lam quidem omnino delictum est in vobis, quod judicia habetis inter vos: quare non magis injuriam accipitis, quare non magis fraudem patimini? Et tamen hypocrita assumpto sanctæ conversationis habitu, filiorum custodiam deserit, & temporalia quæque defendere etiam jurgiis querit. Exemplo suo eorum perdere corda non trepidat, & quasi per negligentiam amittere patrimonialia terrena formidat. In errorem discipulus labitur, & tamen cor hypocritæ nullo dolore sauciatur. Ite in iniquitatis voraginem commissos sibi conspiciat, & hæc quasi inaudita pertranst: at si quod sibi leviter inferri temporale damnum senserit, in ultionis iram repente ab intimis inardescit. Mox patientia rumpitur, mox dolor cordis in vocibus effranatur: quia dum animarum damna æquanimitè tolerat, jacturam verò rerum temporalium repellere etiam cum spiritus commotione festinat, cunctis veraciter indicat testè mentis perturbatione quid amat. Ibi quippe est grande studium defensionis, ubi & gravior vis amoris. Nam quantò magis terrena diligit, tantò privari eis vehementius pertimescit. Quia enim mente aliquid in hoc mundo possidemus, non docemur, nisi cum amittimus. Sine dolore namque amittitur, quidquid sine amore possidetur. Quæ verò ardentè diligimus habita, graviter suspiramus ablata. Quis autem nesciat quia nostris usibus res terrenas Dominus condidit, suis autem animas hominum creavit? Plus ergo Deo se amare convincitur, qui neglectis his quæ ejus sunt, propria tue-

tur. Perdere namque hypocritæ ea quæ Dei sunt, id est animas hominum, non timent, & ea quæ sua sunt, amittere, videlicet res cum mundo transeunt, quasi districto judicio posturi rationes timent; ac si placatum inveniant, cui desideratis rebus, id est rationabilibus perditis, insensibilibus & non quaesita conservant. Possidere aliquid in hoc mundo volumus: & ecce Veritas clamat: *Nisi quis renunciat* *Luc. 14.* *veris omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Perfectus igitur Christianus quomodo debet res terrenas jurgando defendere, quas nunc præcipitur non possidere? Itaque cum res proprias amittimus, si perfectè Deum sequimur, in hujus vitæ itinere à magno onere levigati sumus. Cum verò curam rerum ejusdem nobis itineris necessitas imponit, quidam dum eas rapiunt, solummodo tolerandi sunt: quidam verò conservata charitate prohibendi, non tamen solâ curâ ne nostra subtrahant, sed ne rapientes non sua, semetipsos perdant. Plus quippe ipsi raptoribus debemus meture, quàm quibus irrationabilibus defendendis inhiare. Ista namque etiam non rapta morientes amittimus, cum illis verò & nunc conditionis ordine, etsi corrigi studeant, post perceptionem muneris unum sumus. Quis autem nesciat, quia minus ea quibus utimur, & plus debemus amare quod sumus? Si ergo & pro sua utilitate raptoribus loquimur, non jam solum nobis quæ temporalia, sed ipsi etiam quæ sunt æterna, vindicamus. Quia in re illud est solerter intuemum, ne per necessitatis metum, cupiditas subrepat rerum: & zelo successa prohibitio, impetus immoderatione distensa, usque ad odiosa verba, & turpitudinem contentionis erumpat. Dumque pro terrena re pax à corde cum proximo scinditur, liquidò apparet, quia plus res quàm proximus amatur. Si enim charitatis viscera etiam circa raptorem proximum non habemus, nosmetipsos pejus ipso raptore persequimur, graviusque nos, quàm alter poterat, devastamus: quia dilectionis bonum sponte deserentes, à nobis ipsi intus est quod amittimus, qui ab illo sola exteriora perdebamus. Sed hanc hypocrita formam charitatis ignorat: quia plus terrena quàm caelestia diligit, contra eum qui temporalia diripit, sese in intimis immani odio inflamat. Sciendum verò est, quia sunt nonnulli, quos charitatis gremio nutriens mater Ecclesia tolerat, quousque ad spiritualis ætatis incrementa perducatur, qui nonnumquam & sanctitatis habitum tenent, & perfectionis meritum exequi non valent. Ad dona namque spiritualia minimè assurgunt, & idcirco his qui sibi conjuncti sunt, ad tuenda ea quæ terrena sunt, serviunt, & nonnumquam in defensionis ejusdem iracundia excedunt. Hos nequamquam credendum est in hypocritarum numerum incurrere: quia aliud est infirmitate, aliud malitia peccare. Hoc itaque inter hos & hypocritas distat, quod isti infirmitatis suæ conscii malunt à cunctis de culpa sua redargui, quàm de ficta sanctitate laudari: illi verò & iniqua se agere certi sunt, & tamen apud humana judicia de nomine sanctitatis intumescunt. Isti non metuunt pravus hominibus etiam de bona actione displicere, dum superius tantummodo judiciis placeant: illi verò numquam quid agant, sed quomodo de actione qualibet hominibus possint placere, considerant. Isti juxta modum suæ intelligentiæ, etiam in rebus sæculi militat causis Dei: illi verò pro causis Dei, intentioni deserviunt sæculi: quia inter ipsa quoque, quæ se agere sancta opera ostendunt, non conversionem querunt hominum, sed auras favorum. Igitur dum quosdam non despectæ conversationis viros, iracundè vel nimè defendere terrena conspiciunt, debemus hoc in illis per charitatem reprehendere, nec tamen eos reprehendendo desperare: quia plerumque uni eidemque homini & insunt quædam

judicabilia quæ apparent, & magna quæ latent. In nobis autem sæpe magna in facie prodeunt, & nonnumquam quæ reprehendenda sunt occultantur. Hinc ergo humilianda est nostræ mentis elatio, quod & illorum infirma sunt publica, & nostra secreta: & rursus fortia illorum secreta sunt, & in publico nostra vulgantur. Quos ergo de aperta infirmitate reprehendimus, superest ut de occultæ fortitudinis æstimatione veneremur: & si de aperta se infirmitate nostræ mens elevat, occulta sua infirma considerans, sese in humilitate premat. Sæpe enim nonnulli multis præceptis obsequuntur, & quædam pauca prætereunt: & nos multa prætermittimus, cum pauca servamus. Unde fit plerumque, ut quia quod servare nos novimus, hoc præterire alios videmus, illico nostræ se in elatione mens elevat, obliviscens quàm multa prætereat, cum valde sint pauca quæ servat. Necessè est igitur ut in quibus alios reprehendimus, elationem sollicitæ nostræ cogitationis inclinemus: quia si sublimiorem se ceteris noster animus conspiciat, quasi in præcepto singularitatis ductus, eò pejor ruit. Sed cur hypocrita caelestia lucra deserens, terrenis elaborat, sub struthionis adhuc nomine subjungit, dicens,

Quod hypocritas dedit Deus in reprobum sensum. & ita excacati sunt mentes, ut electorum sanctitatem. & eorum rediorem Deum contemnant.

CAPUT IX.

Privavit eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam. Quamvis aliud sit privare, aliud non dare: hoc tamen repetit subdendo, [non dedit.] quod præmisit, [privavit.] Ac si diceret: Quod dixit, privavit, non injulæ sapientiam abstulit, sed justè non dedit. Unde & Pharaonis cor Dominus obdurasse describitur, non quod ipse duritiam contulit, sed quod exigentibus ejus meritis, nulla illud desuper infusi timoris sensibilitate molliuit. Sed nunc hypocrita, quod sanctum se simulat, quod sub imagine boni operis occultat, sanctæ Ecclesiæ pace premitur, & idcirco ante nostros oculos religionis visione vestitur. Si qua verò tentatio fidei erumpat, statim lupi mens rabida, habitu se ovina pellis expoliat: quantumque contra bonos sæviat, persequens demonstrat. Unde & re-
Exod. 7. *ctè subditur: [Cum tempus fuerit, in altum alas erigit: deridet equitem, & ascensorem ejus.]* Quid enim alas hujus struthionis accipimus, nisi pressas hoc tempore quasi complicatas hypocritæ cogitationes? Quas cum tempus fuerit, in altum elevat, quia opportunitate comperta, eas superbiendo manifestat. Alas in altum erigere, est per effrenatam superbiam cogitationes aperire. Nunc autem quia sanctum se simulat, quia in semetipso stringit quæ cogitat, quasi alas in corpore per humilitatem plicat.
12. *Notandum verò est quod non ait: Deridet equum & ascensorem: sed equitem & ascensorem ejus.* Equus quippe est unicuique sanctæ animæ corpus suum, quod videlicet novit & ab illicitis continentia frano restringere, & rursus charitatis impulsu in exercitatione boni operis relaxare. Equitis ergo nomine animæ sancti viri exprimitur, quæ jumentum corporis bene subditum regit. Unde & Joannes Apostolus in Apocalypsi Dominum contemplatus ait: *Et exercitus qui sunt in celo, sequebantur eum in equis albis.* Multitudinem quippe sanctorum quæ in hoc martyrij bello sudaverat, re-
Apoc. 19. *ctè exercitum vocat: qui idcirco in equis albis sedere referuntur, quia nimirum eorum corpora & luce justitiæ & castimonie candore claruerunt.* Deridet ergo hypocrita equitem: quia cum ipse in aperto iniquitatis eruperit, electorum despiciat sanctitatem: & elatus fatuos appellat, quos pace pref-

A sus fidei, callida arte simulabat. Quis verò alius hujus ascensor est equitis, nisi omnipotens Deus, qui & ea quæ non erant, prævidens condidit, & ea quæ sunt, possidens regit? Ascendit quippe equitem; quia justus unicuique viri animum possidet, sua bene membra possidentem. Huic ergo hypocrite deridere equitem, est sanctos despiciere: deridere verò ascensorem equitis, est proflire usque ad injuriam creatoris. Quia enim in unoquoque lapsu à minimis semper incipitur, & succrescentibus defectibus ad graviora pervenitur, rectè hypocrite hujus iniquitas per supposita detrimenta distinguitur: ut dicatur prius bonum se quod non fit ostendere, postmodum verò bonos aperte despiciere; ad extremum quoque usque ad injuriam conditoris exilire. Numquam quippe illic anima quod ceciderit jacet, quia voluntariè semel lapsa, ad peiora pondere suæ iniquitatis impellitur; ut in profundum corruens, semper adhuc profundius obruat. Eat ergo hypocrite, & nunc suas laudes appetat; postmodum vitam proximorum premat, & quandoque se in irrisione sui conditoris exerceat: ut quod elatiora semper excogitat, eò se supplicii atrocioribus immergat. O quàm multos tales nunc sancta Ecclesia tolerat, quos cum tempus eruperit, tentatio aperta manifestat. Qui voluntates suas, quia contra eam modò non exerunt, quasi complicatas interim alas cogitationum premunt. Quia enim à bonis malisque hæc vita communiter ducitur, nunc Ecclesia ex utrorumque numero visibiliter congregatur; sed Deo invisibiliter judicante discernitur, atque in exitu suo à reproborum societate separatur. Modò verò esse in ea nec boni sine malis, nec mali sine bonis possunt. Hoc enim tempore conjuncta utraque pars sibi necessariò congruit: ut & mali mutentur per exempla bonorum, & boni purgentur per tentamenta malorum. Atque ideo Dominus postquam sub struthionis specie multa de hypocritarum reprobatione intulit, mox ad electorum sortem verba convertit: ut qui in illis audierant quod fugientes tolerent, in istis audiant quod imitantes ament. Sequitur.

Quod ea quæ de rhinocerote dicta sunt, intelligi & aliter possunt.

CAPUT X.

Numquid præbebis equo fortitudinem: aut circumdabis collo ejus hinnitum? Sed fortasse prius quàm hujus equi fortitudinem hinnitumque differamus, ab aliquibus quaritur, ut aliter etiam moralitate postposita, & rhinoceroti virtus, & struthionis hujus fatuitas exponatur. Manna quippe est verbum Dei, & quidquid bene voluntas suscipientis appetit, hoc profectò in ore comedentis sapit. Terra est verbum Dei, quam quantum labor inquirentis exigit, tantò largius fructum reddit. Debet ergo intellectus sacri eloquij multiplici inquisitione ventilari: quia & terra, quæ sæpius arando vertitur, ad frugem uberius apratur. Quæ igitur & aliter de rhinocerote ac struthione sentimus, sub brevitate perstringimus: quia ad ea quæ obligatoria sunt, enodanda properamus. Rhinoceros iste, qui etiam monoceros in Græcis exemplaribus nominatur, tantæ esse fortitudinis dicitur, ut nulla venantium virtute capiatur. Sed sicut hi asserunt, qui describendis naturis animalium laboriosa investigatione sudaverunt, virgo ei puella proponitur, quæ ad se venienti sinum aperit, in quo ille omni ferocitate postposita caput deponit, sicque ab eis à quibus capi quaritur, repente velut incernis invenitur. Buxi quoque coloris esse describitur, qui etiam cum elephantis quando certamen aggreditur, eo cornu quod

in nare singulariter gestat, ventrem aduersantium ferire perhibetur, ut cum ea quæ molliora sunt vulnerat, impugnantes se facile sternat. Potest ergo per hunc rhinocerotem, vel certè monocerotem, scilicet unicornem, ille populus intelligi, qui dum de accepta lege non opera, sed solum inter cunctos homines elationem sumpsit, quasi inter ceteras bestias cornu singulare gestavit. Unde passionem suam Dominus, Propheta canente, pronuncians, ait: *Libera me de ore leonis, & de cornibus unicornium humilitatem meam.* Tot quippe in illa gente unicornes, vel certè rhinocerotès extiterunt, quot contra prædicamenta veritatis de legis operibus, singulari & fatua elatione confisi sunt. Beato igitur Job sanctæ Ecclesiæ typum tenenti dicitur: [*Numquid volēs rhinoceros seruire tibi?*] Ac si apertius dicatur: Numquid illum populū, quem superbiere in nece fidelium stulta sua elatione consideras, sub iure tuæ prædicationis inclinās? subaudis, ut ego, qui & contra me illum singulari cornu extolli conspicio, & tamen mihi cum volituro, protinus subdo. Sed hoc melius offendimus, si de genere ad speciem transcamus. Ille ergo ex hoc populo & prius in superbia, & postmodum præcipuus testis in humilitate nobis ad medium Paulus ducatur, qui dum contra Deum, se quasi de custodia legis nesciens extulit, cornu in nare gestavit. Unde & hoc ipsum naris cornu per humilitatem postmodum inclinans, dicit: *Qui prius sui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus; sed misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci.* In nare cornu gestabat, qui placitum se Deo de crudelitate confidebat, sicut ipse postmodum semetipsum redarguens dicit: *Et proficiebam in Iudaismo supra multos coetaneos meos in genere meo, abundantius emulor existens paternarum mearum traditionum.* Huius autem rhinocerotis fortitudinem omnis venator extimuit: quia Saulis savitiam unumquique prædicator expavit. Scriptum namque est: *Saulus adhuc spirans minarum & cædis in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum, & petiit ab eo epistolas in Damascum ad synagogas, ut si quos invenisset huius via viros ac mulieres, vincitos perduceret in Hierusalem.* Cum status nare reddendus trahitur, spiratio vocatur, & illud sæpe per odorem nare deprehendimus, quod oculis non videmus. Rhinoceros ergo iste nare gestabat cornu, quo percuteret: quia minarum & cædis in Domini discipulos spirans, postquam præsentem interfecerat, absentes quærebat. Sed ecce omnis ante illum venator absconditur, id est, omnis homo rationale sapiens, opinionione timoris ejus effugatur. Ut ergo hunc rhinocerotem capiat, sinum suum virgo, id est, secretum suum ipsa per se inviolata in carne Dei sapientia expandat. Scriptum quippe est, quod cum Damascum pergeret, subito circumfulsit illum die media lux de celo, & vox facta est, dicens: *Saule Saule, quid me persequeris? Qui prostratus in terra respondit: Quis es Domine? Cui illico dicitur: Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris.* Virgo nimirum rhinoceroti sinum suum aperuit, cum Saulo incorrupta Dei sapientia incarnationis suæ mysterium de celo loquendo patefecit: & fortitudinem suam rhinoceros perdidit, quia prostratus humi, omne quod superbum tumebat, amisit. Qui dum sublato oculorum lumine, manu ad Ananiam ducitur, patet jam rhinoceros iste, quibus Dei loris astringitur: quia videlicet uno in tempore cæcitate, prædicatione, baptisinate ligatur. Qui etiam ad Dei præsepe mortuus est, quia ruminare verba Evangelij dedignatus non est. Ait enim: *Ascendi Hierosolimam cum Barnaba, assumpto & Tito. Ascendi autem secundum revelationem, & contuli cum illis Evangelium.* Et qui prius jejunos audierat: *Durum est tibi contra simulum calcitrare;* mira postmodum virtute præ-

A dentis pressus, ex verbi pabulo vires obtinuit, & calcem superbia amisit. Loris quoque Dei non tantum à feritate restringitur, sed quod magis sit mirabile, ad arandum ligatur; ut non solum homines crudelitatis cornu non impetat, sed eorum etiam refectioni serviens, aratrum prædicationis trahat. Ipse quippe de evangelizantibus quasi de arantibus dicit: *Debet enim in spe, qui arat, arare, & qui i. Cor. 9. triviat, in spe fructus percipiendi.* Qui igitur tormenta prius fidelibus irrogaverat, & pro fide postmodum flagella libenter portat, qui scriptis etiam epistolis humilis ac despectus prædicat, quod dum terribilis impugnabat; profectò bene liquid sub arato desudat ad segetem, qui vivebat in campo malè liber à timore. De quo rectè dicitur: [*Aur* B *confringet glebas vallium post se?*] Jam scilicet Dominus quorumdam mentes intraverat, qui illum veraciter humani generis redemptorem credebant. Qui tamen cum nequaquam à pristina observatione recederent, cum dura litteræ prædicamenta cutodirent, eis prædicator egregius dicit: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Qui ergo in humili mente fidelium legis duritiam redarguendo contrivit, quid aliud quam in valle post Dominum glebas fregit? ne videlicet grana seminum, quæ excisus aratro fidei sulcus cordis exciperet, per custodiam litteræ pressa deperirent. De quo bene adhuc subditur: [*Numquid fiduciam habebis in magna fortitudine ejus, & dereliques ei labores tuos?*] In rhinocerotis huius fortitudine fiduciam Deus habuit; quia quantò illum crudelius sibi dura inferentem pertulit, tantò pro se constantius tolerantem adversa præcivit. Cui labores etiam quos ipse in carne pertulerat, dereliquit: quia convertum illum usque ad imitationem propriæ passionis traxit. Unde & per eundem rhinocerotem dicitur: *Suppleo ea* C *que desunt passionem Christi in carne mea.* De quo adhuc subditur: [*Numquid credes illi quod reddat semen tibi, & aream tuam congreget?*] Consideremus Saulum quis fuerit, cum ab ipsa adolescentia lapidantium adjutor existeret, cum alia Ecclesiæ loca vastaret, & acceptis epistolis vastanda alia peteret, cum mors ei fidelium nulla sufficeret, sed semper ad aliorum interitum aliis extinctis anhelaret; & profectò cognovimus, quia nullus tunc fidelium crederet, quod ad jugum Deus suæ formidinis, vinctæ tantæ elationis inclinaret. Unde & Ananias voce Dominica hunc & postquam convertum ausdivit, extimuit: dicens: *Domine, audivi à multis de viro* D *hoc, quanta mala sanctis tuis fecerit in Hierusalem.* Qui tamen repente commutatus, ab hoste prædicator efficitur, & in cunctis mundi partibus Redemptoris sui nomen infinuat, supplicia pro veritate tolerat, pati fide quæ irrogaverat exultat: alios blandimentis vocat, alios ad fidem terroribus revocat. Istis regnum pollicetur cælestis patriæ, illis minatur ignem gehennæ. Hos per auctoritatem corrigit, illos ad viam reititudinis per humilitatem trahit, atque in omnilaterè ad manum se sui rectoris inclinatur, & tanta arte Dei aream congregat, quanta illam prius elatione ventilabat. Sed neque hoc abhorret à Paulo, quod rhinoceros buxei coloris dicitur, & elephantorum ventres cornu ferire perhibetur. Quia enim vivere sub rigore legis assuevit, arctius ceteris in illo custodia uniuscujusque virtutis inolevit. Quid enim per colorem buxeam, nisi abstinentiæ pallor exprimitur? Cui ipse se tenaciter adherere testatur, dicens: *Castigo corpus meum, & servituti subicio, i. Cor. 9. ne forte aliis predicans, ipse reprobus efficiar.* Qui divina legis eruditione præditus, dum aliorum ingluviem redarguit, cornu elephantis in ventrem ferit. In ventrem quippe elephantis percussit, cum dicebat: *Multis ambulat, quos sæpe dicebam* E *vobis; nunc autem & stens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum deus ventret*

2f. 21. c
 1. Tim. 1. c
 Galat. 1. c
 ad. 9. a
 ibid.
 Galat. 2. u
 ad. 9. a

Gal. 1. a
 Coloss. 1. a
 ad. 7. 8
 ad. 9. a
 ad. 9. a
 Philip. 3. a

S. GREGORII
 TOMI

Rom 16. est, & gloria in confusione ipsorum. Et rursum: *Huiusmodi Christo Domino non serviunt, sed suo ventri.* Cornu suo igitur rhinoceros iste non jam homines, sed bestias percussit; quando illa Paulus doctrinæ suæ fortitudine nequaquam perimendos humiles impetit, sed superbos ventris cultores occidit. Quæ ergo in Paulo scripta cognovimus, nunc mira ejus patientia in his quos reprobat, quid toleraverit, audiamus. [*Penna struthionis similis est pennis herodij & accipitris.*] Quid struthionis nomine, nisi synagoga signatur? quæ alas legis habuit, sed in corde in infimis repens, numquam se à terra sublevarit. Quid verò per herodium & accipitrem, nisi antiqui patres exprimuntur, qui ad ea quæ potuerunt intelligendo perspicere, valuerunt etiam vivendo pervolare? Penna igitur struthionis, herodij & accipitris pennis est similis: quia synagoga vox priorum doctrinam loquendo tenuit, sed vivendo nescivit. Unde & ejusdem synagoga populos de Phariseis atque Scribis Veritas admonet, dicens: *Super cathedram Moysi sederunt Scribae & Pharisæi, omnia ergo quacumque dixerint vobis, servate & facite: secundum opera verò eorum nolite facere.* Multa autem dicere de herodij vita potuimus; sed quia penna ejus tantummodo ad memoriam deducitur, de vitaloqui prohibemur. [*Quando derelinquit in terra ova sua, in fursian in pulvere calefacies ea?*] In ovis aliud est quod cernitur, aliud quod speratur: & videri spes non potest, Paulo attestante qui ait: *Quod enim videt quis, quid sperat?* Quid ergo per struthionis ova, nisi de synagoga carne editi Apostoli designantur? qui dum se in mundo despectos atque humiles exhibent, sperare gloriam in superis docent. Abjecti namque & quasi nullius momenti apud elatos habitus, in terra velut ova jacuerunt; sed intus in eis latebat unde viverent, & sublevari spei pennis ad caelestia volarent. Quæ ova struthio in terra derelinquit: quia eos, quos carne genuerat synagoga Apostolos audire contemnens, vocandæ Gentilitati deseruit. Mira autem potentia Dominus hæc eadem in pulvere ova calefacit; quia vivos Apostolorum fetus in illa abjecta dudum Gentilitate suscitavit: & quos synagoga velut insensatos invivificatosque despexerat, ipsi nunc in veneratione Gentium per doctrinam magisterium viventes volant. Ova sua struthio in pulvere derelinquit: quia omnes quos prædicando synagoga genuit, à terrenis desideriis minimè suspenderit. Quæ nimirum desideria quia antiquus hostis concepta in corde invenit, obsessas mentes etiam in sceleribus rapit. Unde & subditur: [*Obliviscitur quod pes conculcet ea, & bestia agri conterat.*] Tunc ova pes calcatur, & bestia agri conterit, cum in terra deseruntur: quia videlicet humana corda dum semper terrena cogitare, semper quæ ima sunt agere appetunt, ad contemendum se agri bestia, id est, diabolo sternunt: ut cum diu in infima cogitatione abjecta sunt, quandoque etiam majorum criminum perpetrations frangantur. Synagoga ergo ova quæ genuit, à terra suspendere bene vivendo neglexit. Sed omnipotens Deus multos ejus filios, quamvis in terrenis desideriis mortuos ac frigidus reperit, calore tamen sui amoris animavit. Sed vitam, quam filius synagoga non dedit, hanc postmodum invidit, dum moliretur persequendo extinguere, quos se ad bona opera non meminerat fovendo genuisse. Unde & aptè de hoc struthione subditur: [*Duratur ad filios suos quasi non sint sui.*] Quasi non suos despiciat, quos aliter vivere, quam docuit ipsa deprehendit: & duref-

cente savitia terrores admovet, sequæ in eorum cruciatibus exercet, atque invidia facibus inflammata, in quibus non laboravit ut possint vivere, laborat ut debeant interire; & cum Domini membra persequitur, placere se per hoc Domino suspicatur. Unde & eisdem struthionis ovis Veritas dicit: *Venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo.* Quia ergo dum crudelitate ad persequendum synagoga ducitur, hoc se agere impulsu divini timoris arbitratur, rectè subjungitur: [*Frustra laboravit, nullo timore cogente.*] In labore quippe illam persecutionis anhelare non timor, sed crudelitas coëgit. Sed quia plerumque vitia colore virtutum tinctæ; tantò nequiora sunt, quantò & esse vitia minimè cognoscuntur: eò in persecutione synagoga durior extitit; quòd religiosiorem se fieri fidelium mortibus æstimavit: & idcirco quæ ageret, discernere omnino non potuit; quia lumen sibi intelligentiæ per superbiæ objectionem clausit. Unde & bene subditur: [*Privavit eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam.*] Districtum quippe est occultæ retributionis examen: & quia sciens humilitatem perdidit, etiam veritatis intelligentiam nesciens amisit. Valde autem minora sunt vulnera, quæ in Redemptoris adventu fidelibus intulit, quam ea quibus sanctam Ecclesiam adhuc per adventum antichristi ferire contendit. Ad illud namque se tempus præparat, ut vitam fidelium coactatis viribus premat. Unde & aptè subditur: [*Cum tempus fuerit in altum alas erigit: deridet equitem, & ascensorem ejus.*] In altum struthio alas erigit, quando suo conditori synagoga non ut antea formidando, sed apertè jam repugnando contradicit. In membra quippe diaboli transiens, & mendacij hominem Deum credens, contra fideles tantò in altum extollitur, quantò & Dei corpus se esse gloriatur. Quæ quia non solum humanitatem Domini, sed ipsam etiam divinitatem despicit, non tantum equitem, sed ascensorem etiam equitis irridet. Nam custodita unitate personæ valet intelligi, quia Verbum Dei tunc equitem ascendit, quando animatam carnem sibi intra uterum Virginis condidit. Tunc equitem ascendit, quando humanam animam propriæ carni præfidentem, divino cultui semetipsum creando subjugavit. Carnem quippe divinitas anima mediante suscepit, & per hoc totum simul equitem tenuit; quia in semetipso non solum illam quæ regebatur, sed hanc etiam quæ regebat, adstrinxit. Judæa igitur per adventum superbientis antichristi, laqueo seductionis capta: quia Redemptorem nostrum humilem fuisse inter homines despicit, deridet equitem: quia ejus in omnibus divinitati contradicit, deridet nihilominus & ascensorem. Sed Redemptor noster unus idemque & eques, & equitis est ascensor: & cum in mundum venit, fortes contra mundum prædicatores exhibuit: & cum in mundi termino antichristi fallaciam tolerat, virtutem pro se certantibus subministrat: ut cum antiquus hostis in illa sua citius finienda libertate laxatur, quantò contra adversarium solum pugnant. Unde hic cum struthio alas elevare, ascensorem & equitem deridere describitur, illico fortium prædicatorum memoria subrogatur, & dicitur: [*Numquid præbebis equo fortitudinem: aut circumdabis collo ejus binnitum?*] In Scriptura sacra equi nomine aliquando lubrica vita pravorum, aliquando dignitas temporalis, aliquando hoc ipsum præsens faculum, aliquando præparatio rectæ intentionis, aliquando sanctus prædicator exprimitur. Equi enim nomine lubrica pravorum vita signatur, sicut scriptum est: *Nolite fieri sicut equus & mulus.* Et sicut per Prophetam alium dicitur: *Equi amatores, & emissarii facti sunt: unusquisque ad uxorem*

Matth. 23
16.
Rom. 8.

Ioan. 16.

17.

18.

27. 31. 6
Hier. 17. 6

proximi sui hincibat. Equi nomine dignitas temporalis accipitur, Salomone attestante, qui ait: *Vidi seruos in equis, & principes ambulantes quasi seruos super terram.* Omnis quippe qui peccat, seruus est peccati: & serui in equis sunt, cum peccatores presentis vitæ dignitatibus efferuntur. Principes verò quasi serui ambulant, cum multos dignitate virtutum plenos nullus honor erigit, sed summa hic aduersitas velut indignos deorsum premit. Hinc

rursum dicitur: *Dormitauerunt qui ascenderunt equos; id est, in morte animæ, mentis oculos à veritatis luce clausurunt, qui in presentis vitæ honore confisi sunt.* Equi nomine hoc ipsum presentis sæculi designatur, sicut Jacob voce dicitur: *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi, ut cadat ascensor eius retro.* Quo in testimonio quid equus significet, melius ostendimus, si & ea quæ circumstant, paulò subtilius exponamus. Nonnulli enim de tribu Dan venire antichristum ferunt; pro eo quòd hoc loco Dan & coluber asseritur & mordens. Unde, & non immeritò dum Israëliticus populus terras in castrorum partitione susciperet, primus Dan ad Aquilonem castrametatus est: illum scilicet signans, qui in corde suo dixerat: *Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis; ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* De quo & per Prophetam dicitur: *A Dan auditus est fremitus eorum eius.*

Qui non solum coluber, sed etiam cerastes vocatur. Cerata enim Græcè cornua dicuntur: serpenteque hic cornutus esse perhibetur, per quem dignè antichristi aduentus asseritur: quia contra fidelium vitam cum morsu pestiferæ prædicationis, armatur etiam cornibus potestatis. Quis autem nesciat semitam angustiorem esse, quàm viam? Fit ergo Dan coluber in via; quia in presentis vitæ latitudine eos ambulare provocat, quibus quasi parcendo blanditur: sed in via mordet, quia eos quibus libertatem tribuit, erroris sui veneno consumit. Fit cerastes in semita: quia quos fideles reperit, & sese ad præcepti caelestis angusta itinera constringentes, non solum nequitia callidæ persuasione impetit, sed etiam terrore potestatis premit: & in persecutionis languore, post beneficia fictæ dulcedinis, exercet cornua potestatis. Quo in loco equus hunc mundum insinuat, qui per elationem suam in cursum labentium temporum spumat. Et quia antichristus extrema mundi apprehendere nititur, cerastes iste equi ungulas mordere perhibetur. Ungulas quippe equi mordere, est extrema sæculi feriendo contingere. *Ut cadat ascensor eius retro.* Ascensor equi est quisquis extollitur in dignitatibus mundi. Qui retrò cadere dicitur, & non in faciem; sicut Saulus cecidisse memoratur. In faciem enim cadere, est in hac vita suas unumquemque culpas agnoscere, easque pœnitendo desistere. Retrò verò, quòd non videtur, cadere, est ex hac vita repente decedere, & ad quæ supplicia ducatur ignorare. Et quia Judæa erroris sui laqueis capta, pro Christo antichristum expectat, bene Jacob eodem loco repente in electorum voce conversus est, dicens: *Salutare tuum expectabo Domine;* id est, non sicut infideles antichristum, sed eum qui in redemptionem nostram venturus est, verum credendo fideliter Christum. Equi nomine præparatio rectæ intentionis accipitur, sicut scriptum est: *Equus paratur in diem belli, sed Dominus salutem tribuit;* quia contra tentationem quidem se animus præparat, sed nisi adiuvetur desuper, salubriter non decernat. Equi nomine sanctus quisque prædicator accipitur, Propheta attestante, qui ait: *Missi in mare equos tuos, turbantes aquas multas.* Quietæ quippe aquæ jacuerunt; quia humanæ mentes diu sub victorum suorum torpore sopitæ sunt. Sed equis Dei mare

turbatum est; quia missi sanctis prædicatoribus, omne cor quod pestifera securitate torpuit, impulsu salutiferi timoris expavit. Hoc itaque loco equi nomine sanctus prædicator accipitur, cum beato Job dicitur.

Quòd prædicator a Deo & vitam habeant & doctrinam.

CAPUT XI.

Numquid præbebis equo fortitudinem: aut circumdabis collo ejus hinnitum? Sed quid est, quòd huic equo Dominus se prius dare fortitudinem, & postmodum collo ejus hinnitum circumdare asserit? Hinnitu enim, vox prædicationis exprimitur. Verus autem quisque prædicator antè fortitudinem, & postmodum hinnitum circumdare debet: quia cum in se prius vitia extinxerit, tunc pro erudiendis aliis ad vocem prædicationis venit. Equus iste habet fortitudinem; quia aduersa constanter tolerat. Habet hinnitum; quia ad superna blandiens vocat. Huic equo Dominus & fortitudinem & hinnitum se dare testatur: quia in prædicator ejus nisi & vita & sermo conuenerint, nequaquam virtus perfectionis apparebit. Non enim multum prodest si sublimis vitæ operatione suffultus sit, si tamen loquendo non valet ad hoc alios excitare quòd sentit. Vel quid prodest bene loquendo alios accendere, si semetipsum indicat malè vivendo torpuisse? Quia ergo in prædicator necessè est, ut ad perfectionem utraque conueniant; equo suo Dominus & cum actionis fortitudine hinnitum vocis, & cum hinnitu vocis fortitudinem ministrat actionis. Et notandum, cur hinnitus, qui interius nimirum per guttur ducitur, equi collo circumdari, id est, quasi per gyrum trahi exterius dicatur: quia videlicet prædicationis vox de internis emanat, sed extra circumdat. Nam quòd alios ad bene vivendum suscitatur, eò ad bene agendum & opera prædicationis ligat: ne extra sermonem actio transeat, ne voci vita contradicat. Collo ergo equi hinnitus circumducitur; quia ne ad perversa opera prodeat, suis vocibus etiam vita prædicationis obsidetur. Hinc est enim quòd potenter dimicantibus in munere torques datur: ut quia signa virtutum gestant, majora semper exerceant, & debilitatis crimen incurere metuant, dum in semetipsis jam fortitudinis est præmium, quòd ostentant. Unde rectè in laude sapientiæ auditori cuiuslibet per Salomonem dicitur: *Coronam gratiarum accipies pro capiti tuo, & torquem auream collo tuo.* Sc. 1. 4. quitur.

Quòd sancti viri in tentationum ardoribus feruentiores inveniuntur, & impellentes se validis conatibus ad caelestia rapiuntur.

CAPUT XII.

Numquid suscitabis eum quasi locustas? Locustarum nomine aliquando Judaicus populus, aliquando conversa Gentilitas, aliquando adulantium lingua, aliquando verò per comparationem resurrectionis Dominicæ, vel prædicatorum vita signatur. Quia enim Judæorum populum locustæ expriment, vita Joannis signat, de quo scriptum est: *Locustas & mel silvestre edebat.* Matt. 3. Joannes quippe eum, quem prophetiæ auctoritate pronunciat, etiam specie ciborum clamat. In semetipso enim designavit Dominum, quem prævenit. Qui nimirum in redemptionem nostram veniens, quia infructuose Gentilitatis dulcedinem sumpsit, mel silvestre edit. Quia verò Judæorum plebem in suo corpore ex parte convertit, in cibo locustas accepit. Ipsos namque locustæ significant, subitò

Eccle. 10. b
S. August. in Ps. 12. 75.
Ps. 146.

Ps. 71. b

Gen. 49.

Num. 2.

Esai. 14.

Hiere. 8.

f

*capita

Gen. 49.

Act. 9. a

Gen. 49.

Prov. 12. d

Habac. 3. b

subitos saltus dantes, sed protinus ad terram cadentes. Saltus enim dabant, cum præcepta Domini se implere promitterent: sed citius ad terram cadebant, cum per prava opera hæc se audisse denegarent. Videamus in eis quasi quemdam locustarum saltum: *Omnia verba quæ locutus est Dominus, & faciemus & audiemus. Videamus autem quomodo citius ad terram ruunt: Vinam mortis effemus in Aegypto, & non in hac vasta solitudine. Vinam percamus, & non inducat nos Dominus in terram istam.* Locustæ ergo erant, quia habebant saltum per vocem, & calum per actionem. Locustarum quoque nomine Gentilitas designatur, Salomone attestante, qui ait: *Florebit amygdalus, impinguabitur locusta, dissipabitur capparitis.* Amygdalus quippe florem prius cunctis arboribus ostendit. Et quid in flore amygdali, nisi sanctæ Ecclesiæ primordia designantur: quæ in prædicatoribus suis primitivos virtutum flores aperuit, & ad inferenda poma honorum operum, venturos sanctos quasi arbuta sequentia prævenit. In qua mox locusta impinguata est; quia sicca Gentilitatis sterilitas pinguedine est gratiæ celestis infusa. Capparitis dissipatur; quia cum gratiam fidei vocata Gentilitas attingit, Judæa in sua sterilitate remanens, bene vivendi ordinem amisit. Hinc rursum per eundem Salomonem dicitur: *Regem locusta non habet, & egreditur universa per iunias suas:* quia videlicet derelicta Gentilitas, aliena dudum à divino regimine exiit; sed tamen ordinata postmodum contra adversantes spiritus ad fidei bellum processit. Locustæ vocabulo lingua adulantis exprimitur: quod exhibitæ cælitus Egyptiæ plagæ testantur, quæ exigentibus meritis corporaliter semel illatæ sunt; sed quæ mala pravas mentes quotidie feriant, spiritaliter signaverunt. Scriptum namque est: *Ventus urens levabat locustas, quæ ascenderunt super universam terram Aegypti: operueruntque universam faciem terræ, vastantes omnia.* Devorata est igitur herba terra, & quidquid pomorum in arboribus fuit. His enim Aegyptus plagis affecta est, in quibus exteriori percussione commota, dolensque perpenderet quæ devastationis damna interitus negligens toleraret: ut dum foris perire minima, sed amplius dilecta cernebat, per eorum speciem quæ intus pertulerat, graviora sentiret. Quid autem per significationem locustæ portendunt, quæ plus quam cetera minima quæque animantia humanis frugibus nocent: nisi linguas adulantium, quæ terrenorum hominum mentes, si quando bona aliqua profere conspicunt, hæc immoderatiùs laudando corumpunt? Fructus quippe Egyptiorum est operatio cænodoxorum; quam locustæ exterminant, dum adulantes linguæ ad appetendas laudes transitorias cor operantis inclinant. Herbam verò locustæ comedunt, quando adulescentes quique verba loquentium favoribus extollunt. Poma quoque arborum devorant, quando vanis laudibus quorundam jam quasi fortium & opera enervant. Locustæ nomine per comparisonem Redemptoris nostri resurrectio designatur. Unde & voce ejus per Prophetam dicitur: *Excussus sum sicut locusta.* Tenei enim se à persecutoribus usque ad mortem pertulit: sed sicut locusta excussus est, quia ab eorum manibus saluta subitæ resurrectionis evolavit. Quod referri quoque ad prædicatorum numerum potest. In ipsis quippe sicut locusta excussus est; quia Judæa in sua persecutione saviente, dum per diversa fugiunt, quasi quosdam recessionis suæ saltus dederunt. Quia verò ille prædicator ad perfectionis culmen erigitur, qui non activa solummodo, sed etiam contemplativa vita solidatur: rectè ipsa prædicatorum perfectio locustis exprimitur: quæ quoties se in aëra attollere conantur, primum se cru-

ribus impellentes sublevant, & postmodum alis volant. Ita nimirum sunt sancti viri: qui dum superna appetunt, primum quidem activæ vitæ bonis operibus innituntur, & tunc demum se ad sublimia per contemplationis saltum volando suspendunt. Crura figunt, & alas exerunt: quia recta agendo stabiliuntur, & ad alta videndo sublevantur. Qui in hac vitæ positi, diu in divina contemplatione manere non possunt: sed quasi locustarum more, à saltu quem dederant, in pedibus suis se excipiunt, dum post contemplationum sublimia, ad necessaria activæ vitæ opera revertuntur: nec tamen in eadem vita activæ remanere contenti sunt. Sed dum ad contemplationem desideranter exiliunt, quasi rursus aëra volantes petunt; vitamque suam quasi locustæ ascendentes descendentesque peragunt, dum sine cessatione semper & summa videre appetunt, & ad semetipsum naturæ corruptibilis pondere revolvuntur. Est adhuc aliud quod locustæ simile sanctis prædicatoribus gerunt. Matutinis namque horis, id est, teporis tempore vix à terra se sublevant: cum verò æstus exarserit, tantò altiùs, quantò alacriùs volant. Sanctus autem quisque prædicator dum quieta fidei tempora conspicit, humilis ac despectus aspicitur, & locustæ more quasi vix à terra sublevatur. Si autem persecutionis ardor incandeat, corde caelestibus inhærens, mox quantæ sit sublimitatis ostendit: & pullatus alis in altum rapitur, qui quietus in imis torpuisse videbatur. De hoc ergo equo, id est, prædicatore suo, beato Job Dominus dicit: *[Numquid suscitabis eum quasi locustas?]* Sabaudis, ut ego, qui eò illum ad altiora excitando sublevo, quò graviore persecutionis æstu excruciarī permitto: ut tunc in illo robustior virtus evigilet, cum se ei ardentior infidelium crudelitas illidit. Sed cum multa exteriùs sanctus prædicator patitur, cum dira persequentium vexatione cruciatur: quis intueri valet quid est quod intus conspicit, qui tot sua exteriùs damna non sentit? Nisi enim essent mira quæ salubriter intus pascere; ea proculdubio quæ admoventur exteriùs, usque ad cor tormenta pervenirent. Sed in arce spei se animus sublevat, & idcirco objecte seditionis jacula minimè formidat. Unde & hoc loco Dominus, ut ostendat, equus iste quam suavia jam de internis odoretur, cum tot adversa in exterioribus patitur, rectè subjungit: *[Gloriam narium ejus terror.]* In Scriptura sacra vocabulo narium aliquando fatuitas, aliquando antiqui hostis instigatio, aliquando verò præscientia solet intelligi. Naribus namque fatuitas designatur, sicut jam superiùs Salomone attestante didicimus, qui ait: *Circulus aureus in naribus suis mulier pulchra & farina.* Narium nomine exhalantes infidie atque instigatio antiqui hostis accipitur: quod in hoc eodem libro de illo Dominus attestatur, dicens: *De naribus ejus procedit fumus.* Ac si dicat: *De perverfa instigatione illius in humanis cordibus caligo nequissimi cogitationis surgit, per quam videntium oculi tenebescunt.* Naribus quoque præscientia designatur, sicut per Prophetam dicitur: *Quæ scire ab homine, cuius spiritus est in naribus ejus: quia excelsus reputatus est ipse.* Sæpe enim id quod non videmus, odore comprehendimus, ita ut nonnullæ res etiam cum longè jaceant, fragrantia nobis suæ qualitatis innotescant: dumque per nares spiritum ducimus, plerumque aliqua & invisæ præscientia designatur: quia quæcumque se scire in natura humanitatis innotuit, hæc nimirum ante secula ex divinitate præscivit. Qui unde spiritum in naribus habuerit, mox per Prophetam subjungit, dicens: *Quia excelsus reputatus est ipse.* Ac si dicat: *lib.*

Exod. 24. a Num. 14. a

20. Eccle. 12. b

Prov. 30. d

Exod. 10. d

17. 108. c 21.

M m m

ret: In inferioribus ventura desuper præcivit; quia ad ima de caelestibus venit. Sancti etiam viri, quia ab illo audita crediderunt, ipsi quoque jam ventura præciant: dumque ejus fideliter præceptis inserviunt, adventum illius spe certa præstolantur. Unde & hoc loco equi hujus naribus, prædicatoris sancti præciantia ac præstolatio designatur. Dum enim venire extremum judicium, ostendi caelestem patriam, perfolvi iustus præmia appetit, quasi per nares spiritum de futuris trahit. Sed gloria narium ejus terror est; quia visionem districti judicis, quam iustus vehementer expectat, iniustus venire formidat. Ille namque labores suos considerans, mercedem retributionis quærit: & causæ suæ meritum sciens, præsentiam judicis experit, eumque ut veniat in flamma ignis, dans vindictam impiis, & contemplationis suæ speciem in retributionem deferens piis, summo ardore concupiscit. Ille verò qui iniustitiæ suæ meminit, venire in judicium perhorrescit, actusque suos examinari metuit: quia damnari se, si examinentur, novit. Gloria ergo narium ejus terror est; quia iustus inde gloriatur, unde peccator pænæ addicitur. Videamus equum quomodo de his quæ adhuc non videt, jam per nares spiritum trahit: videamus quantà gloriâ attollitur, cum jam ventura præstolatur. Ecce labores suos intuens prædicator egregius, dicit: *Ego jam delibor, & tempus meæ resolutionis instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. De reliquo reposta est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex.* Ubi & aptè subjungit: *Non solum autem mihi, sed & his qui diligunt adventum ejus.* Ac sic dicat: Sed & omnibus, qui sibi de bona operatione sunt conscij. Adventum enim judicis non diligunt, nisi qui in causa sua se habere justitiæ meritum sciunt. Quia igitur unde gloriatur iustus, inde terretur iniustus, dicatur rectè: [*Gloria narium ejus terror.*] Sed sanctus iste prædicator, dum venturam gloriam præstolatur, dum venire ante faciem judicis nititur, dumque à laboris sui adhuc mercede differtur, in hac vita interim positus quid agat audiamus. Sequitur.

Quod sancti viri quasi fodientes puteos, terrenas cogitationes de cordibus auditorum eiciunt: nec allophyliis volentibus implere quæ effodiunt, ab ipsa effusione quiescunt.

CAPUT XIII.

Terram ungula fodit.] Solet in equi ungula, laboris fortitudo cognosci. Quid ergo per ungulam, nisi in prædicatore sancto virtutum perfectio designatur? Qua videlicet ungulâ terram fodit, cum de corde audientium exemplo suorum operum terrenas cogitationes eicit. Ungulâ terram fodit: quia auditorum corda à secularibus curis evacuat, cum doctor bonus contemni sæculum opere ostentat. Videamus Paulum terram cordis audientium qua ostentæ virtutis ungulâ fodiat. Ipse namque discipulis dicit: *Hæc cogitare, quæ & didicistis & accepistis & audistis & vidistis in me, hæc agite: & Deus pacis erit vobiscum.* Et rursus: *Imitatores mei estote, fratres, sicut & ego Christi.* Qui igitur exemplo sui operis alios corrigit; nimirum ungula terram fodit. Habemus aliud, quod adhuc subtilius de hujus ungulæ effusione tractemus. Sancti enim viri quamvis intento mentis oculo in supernis evigilent, quamvis cuncta quæ in ima præterfluunt, pede rigidi contemptus calcant; ex corruptione tamen terrenæ carnis, cui adhuc alligati sunt, plerumque cogitationum pulverem in corde patiuntur. Cumque foris aliis ad appetenda caelestia

A persuadent, semetipsos semper intrinsecus subtili inquisitione discutunt, ne qua immorante in se diu infima cogitatione polluantur. Equus ergo iste ungulâ terram fodit, cum prædicator quisque inquisitione forti terrenas in se cogitationes discutit. Equus ungulâ terram fodit, quando is, cui jam Dominus præfideret, quæ sibi moles congeritur ex vetusta cogitatione, considerat, seque ab illa stendo evacuari non cessat. Unde bene & Isaac apud alienam gentem puteos fodisse describitur. Quo videlicet exemplo discimus, ut in hac peregrinationis ærumna positi, cogitationum nostrarum profunda penetremus: & quousque nobis veræ intelligentiæ aqua respondeat, nequaquam nostræ inquisitionis manus ab exhaurienda cordis terra torpescat. Quos tamen puteos allophyli insidiantes replent, quia nimirum immundi spiritus cum nos studiosè cor fodere conspiciunt, congestas nobis tentationum cogitationes ingerunt. Unde semper mens evacuanda est, incessanterque fodienda: ne si indiscussa relinquatur, usque ad tumorem perverforum operum, cogitationum super nos terra cumuletur. Hinc ad Ezechielem dicitur: *Fili hominis fode parietem; id est, cordis duritiam crebris percrutationum ictibus rumpe.* Hinc ad Elaiam Dominus dicit: *Ingrede in petram, abscondere fossa humo, à facie timoris Domini, & à gloria majestatis ejus.* Petram quippe ingredimur, cum cordis nostri duritiam penetramus: atque à facie timoris Domini fossa humo abscondimur, si terrenas cogitationes egerentes, ab ira districti judicis in humilitate nostræ mentis celamur. Quò enim plus terra fodiendo projicitur, eò pavimentum semper inferius demonstratur. Unde & nos si à nobis studiosius terrenas cogitationes eiciamus, quò apud nosmetipsos abscondamur, humilius invenimus. Ecce enim qui divini judicij dies imminet, quasi ipsa jam timoris ejus facies apparet: tantoque magis necesse est, ut unusquisque illum terribilius timeat, quantò jam gloria majestatis ejus appropinquat. Quid ergo agendum est, quove fugiendum? Quò enim quis latere potest eum, qui ubique est? Sed ecce petram ingredi, fossa humo occultari præcipimur; ut videlicet cordis nostri duritiam dirumpentes, eò iram invisibilem declinemus, quò ab amore rerum visibilibus apud nosmetipsos in corde subtrahimur: ut cum pravæ cogitationis terra ejicitur, mens apud semetipsam tantò tutius, quantò & humilius abscondatur. Hinc Israëlito populo per Moysen à Domino jubetur, ut cum egredietur ad requisita naturæ, mittat paxillum in balteo, & fossa humo abscondat quæ egesta fuerint. Naturæ enim corruptibilis pondere gravati, à mentis nostræ utero quædam cogitationum superflua quasi ventris gravamina erumpunt. Sed portare paxillum sub balteo debemus, ut videlicet ad reprehendendos nosmetipsos semper accincti, acutum circa nos stimulum compunctionis habeamus: qui incessanter terram mentis nostræ pœnitentiæ dolore confodiat, & hoc quod à nobis fortitudo erumpit, abscondat. Ventris quippe egestio fossa humo per paxillum tegitur, cum mentis nostræ superfluitas subtili redargutione discussa, ante Dei oculos per compunctionis suæ stimulum celatur. Quia igitur sancti viri quæcumque inutilia cogitant, reprehendere, ac dijudicare non cessant, de equo suo Dominus dicit: [*Terram ungulâ fodit.*] id est, quidquid in mente sua terrenum versari conspicit, hoc nimirum superductæ pœnitentiæ duris percussionibus rumpit. Cum verò se interioribus districta subtilitate dijudicant, jam nihil est quod exterius perirent. Tantò enim minus ad mala præsentia trepidant, quantò semetipsos plenius bonis venturis parant. Unde & subditur.

2. Tim.

4. b

ibid.

Philip.

4.

ibid.

22.

Gen. 25.

ibid.

Ezech.

8. c

Esa. 2. e

Deut.

23. e

Quod sancti viri cum locus & causa exigit, pro defensione pietatis debent semetipsum persecutoribus obicere, & etiam cum non queruntur, obviare.

CAPUT XIV.

Exultat audacter, in occursum pergit armatis.] Exultat audacter; quia sic adversis non frangitur, sicut nec prosperis elevatur. Adversa namque non dejiciunt, quem prospera nulla corrumpunt. Equus itaque iste & fortis & sub freno est. Ne ergo prematur adversis, habet vim fortitudinis: ne elevetur prosperis, habet pondus desuper insidentis. Decurrunt quippe tempora, sed idcirco justum trahere non valent, quia levare non possunt. Illos nimirum trahunt, quos levant: irata dejiciunt, quos blanda sustollunt. Vir autem bene Deo subditiis scit inter transcurra stare, scit inter lapsus decurruntium temporum mentis gressum figere, scit nec ad subiecta se erigere, nec ad objecta trepidare. Plerumque autem quia exerceri se utilius contritionis suae laboribus novit, in adversis hilarescit: quae dum constanter pro veritate patitur, augeri sibi virtutis meritum letatur. Hinc est quod tunc Apostolos exultasse legimus, cum pro Christo illos contigit flagella tolerasse, sicut scriptum est: *Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habitii sunt pro nomine Iesu contumeliam pati.* Hinc Paulus cum duris in Macedonia fuisset persecutionibus pressus, in eo quod se afflictum insinuat, etiam jucundatum demonstrat, dicens: *Nam cum venissemus Macedonia, nullam requiem habuimus caro nostra.* Ac si aperte diceret, quia spiritus requiem habuit, dum per profectum animae, persecutionum supplicia caro toleravit. Contra hunc itaque equum ab adversariis sanctae Ecclesiae parantur gladii de dolore poenarum: parantur arma de patrociniis saecularium potentatum. Solent namque haeretici potentum mundi defensionibus, quasi quibusdam armis, se tegere: solent omnes infideles predicationem fidei excitatis etiam saeculi potentatibus impugare. Sed equus Dei exultat audacter, & exteriora tormenta non metuit; quia internam delectationem quaerit, potentatum mundi iracundiam non formidat; quia ipsius quoque vitae praesentis desiderium per mentis excessum calcat. Hinc per Salomonem dicitur: *Non contristabit iustum quidquid ei acciderit.* Hinc in eo rursum scriptum est: *Iustus quasi leo confidens absque errore erit.* In occursum bestiarum idcirco leo non trepidat, quia prevalere se omnibus non ignorat. Unde iusti viri securitas recte leoni comparatur: quia contra se cum quoslibet insurgere conspicit, ad mentis suae confidentiam redit: & scit quia cunctos adversantes superat, quia illum solum diligit, quem invitus nullo modo amittat. Quisquis enim exteriora, quae & nolenti subtrahuntur, appetit, sua se sponte extraneo timori subternit. Infracta autem virtus est concupiscentia vitae aeternae, terrenae contemptus: quia & in alto mens ponitur, cum a rebus infimis spei suae iudicio sublevatur: atque a cunctis adversantibus tanto minus attingitur, quanto in supernis sita tutius munitur. Equus itaque iste non solum contra se venientes minimè metuit, sed eis etiam in occursum pergit. Unde bene hic additur: *[In occursum pergit armatis.]* Plerumque enim quieti atque inconcussi relinquimur, si obviare pravis per justitiam non curamus. Sed si ad aeternae vitae desiderium animus exarsit, si jam verum lumen intrinsecus respicit, si in se flammam sancti fervoris accendit: in quantum locus admittit, in quantum causa exigit, debemus pro defensione justitiae nosmetipsum obicere; & perveris ad injusta erumpentibus, etiam cum ab eis non quaerimur obviare. Nam cum justitiam, quam nos amamus, in aliis ferunt, nos nihilominus sua persecutione confodiunt, etiam si venerari videantur. Quia ergo vir sanctus pravis ac malè agentibus sese etiam cum non quaeritur opponit, rectè de equo Dei dicitur: *[In occursum pergit armatis.]* Intueri libet illum sefforis sui calcaribus excitatum contra armatos hostes, quantus Paulum fervor accenderat, quando eum Ephesi ad irrumpendas theatri turbas zeli flamma rapiebat. Scripsum quippe est: *Repleti sunt ira, & exclamaverunt dicentes: Magna Diana Ephesiorum: & impleta est civitas confusione, & impetum fecerunt uno animo in theatrum, rapto Caio & Aristarcho Macedonibus, comitibus Pauli.* Atque mox subditur: *Paulo autem volente intrare in populum, non permiserunt discipuli. Quidam autem & de Asia principibus, qui erant amici eius, miserunt ad eum, rogantes ne se daret in theatrum.* In quibus profectò verbis agnoscimus quo impetu contra cuneos adversantes irrueret, nisi eum per amicos & discipulos charitatis fræna tenuissent. Sed si obviare hostibus, si ultro pugnam petere, si nosmetipsum semper relinquere in cursu nostri fervoris debemus, quid est quod idem prædicator egregius de semetipso fatetur, dicens: *Damasci praepositus gentis Areta regis custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet, & per fenestram in sporta demissus sum per murum, & sic effugi manus eius.* Quid est quod equus iste modò sponte armatorum cuneos impetit, & modò se ab armatis hostibus quasi trepidus abscondit: nisi hoc, quod necesse est ut in ejus artificiosa virtute dicamus adversariorum pugnam & constanter aliquando appetere, & prudenter aliquando declinare? Necesse quippe est, ut per omne quod agimus, in mentis trutina positum hinc pondus, illinc fructum nostri laboris aestimemus: & cum pondus fructum superat, laborem quisque innoxie declinet; dummodo se in aliis exerceat, in quibus lucro fructuum pondus laboris vincat. Cum verò subsequenti quantitate fructuum, mensura laboris aut aequatur aut vincitur, labor non sine gravi culpa declinatur. Unde prædicator sanctus, cum Damasci valde obstinatas mentes persequentium cerneret, eorum noluit adversitati confingere: quia & semetipsum, quem profuturum multis noverat, vidit posse deficere, & aut nullis se ibi, aut paucis prodesse. Secessum ergo a certamine petiit, & pugnaturum felicitis ad alia se bella servavit. Non enim loco virtus, sed locus virtuti desuit: & idcirco fortissimus miles ab obsidionis angustia, certaminis campum quaesivit. Ubi autem subjuganda Regi proprio multa adversariorum colla conspexit, subire bellum vel cum morte non timuit: sicut ipse cum Hierosolymam pergeret, cumque discipuli, passione illius per prophetiam præscita, prohiberent, sibi metipsum attestatur, dicens: *Ego non solum alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum pro nomine Domini Iesu.* Neque enim facio animam meam pretiosorem quam me. Qui igitur hic hostiles cuneos etiam præscita passione sua imperterritus petiit, illic de dispensatione fuisse edocuit, non de timore quod fugit. Qua in re pensandum est, quia ille labores quosdam per dispensationis iudicium laudabiliter declinat, qui pro Deo majores alios fortiter tolerat. Nam saepe ab hominibus timor debilis, cauta dispensatio vocatur: & quasi prudenter impetum declinasse se asserunt, cum fugientes turpiter in terga feruntur. Unde necesse est ut in causa Dei, cum res dispensationis agitur, merus cordis subtilissima libratione pensetur: ne per infirmitatem timor subrepat, & sese per dispensationis imaginem, rationem confingat; ne culpa se prudentiam nominet: jamque nec ad poenitentiam animus redeat, quam

Arimur obviare. Nam cum justitiam, quam nos amamus, in aliis ferunt, nos nihilominus sua persecutione confodiunt, etiam si venerari videantur. Quia ergo vir sanctus pravis ac malè agentibus sese etiam cum non quaeritur opponit, rectè de equo Dei dicitur: *[In occursum pergit armatis.]* Intueri libet illum sefforis sui calcaribus excitatum contra armatos hostes, quantus Paulum fervor accenderat, quando eum Ephesi ad irrumpendas theatri turbas zeli flamma rapiebat. Scripsum quippe est: *Repleti sunt ira, & exclamaverunt dicentes: Magna Diana Ephesiorum: & impleta est civitas confusione, & impetum fecerunt uno animo in theatrum, rapto Caio & Aristarcho Macedonibus, comitibus Pauli.* Atque mox subditur: *Paulo autem volente intrare in populum, non permiserunt discipuli. Quidam autem & de Asia principibus, qui erant amici eius, miserunt ad eum, rogantes ne se daret in theatrum.* In quibus profectò verbis agnoscimus quo impetu contra cuneos adversantes irrueret, nisi eum per amicos & discipulos charitatis fræna tenuissent. Sed si obviare hostibus, si ultro pugnam petere, si nosmetipsum semper relinquere in cursu nostri fervoris debemus, quid est quod idem prædicator egregius de semetipso fatetur, dicens: *Damasci praepositus gentis Areta regis custodiebat civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet, & per fenestram in sporta demissus sum per murum, & sic effugi manus eius.* Quid est quod equus iste modò sponte armatorum cuneos impetit, & modò se ab armatis hostibus quasi trepidus abscondit: nisi hoc, quod necesse est ut in ejus artificiosa virtute dicamus adversariorum pugnam & constanter aliquando appetere, & prudenter aliquando declinare? Necesse quippe est, ut per omne quod agimus, in mentis trutina positum hinc pondus, illinc fructum nostri laboris aestimemus: & cum pondus fructum superat, laborem quisque innoxie declinet; dummodo se in aliis exerceat, in quibus lucro fructuum pondus laboris vincat. Cum verò subsequenti quantitate fructuum, mensura laboris aut aequatur aut vincitur, labor non sine gravi culpa declinatur. Unde prædicator sanctus, cum Damasci valde obstinatas mentes persequentium cerneret, eorum noluit adversitati confingere: quia & semetipsum, quem profuturum multis noverat, vidit posse deficere, & aut nullis se ibi, aut paucis prodesse. Secessum ergo a certamine petiit, & pugnaturum felicitis ad alia se bella servavit. Non enim loco virtus, sed locus virtuti desuit: & idcirco fortissimus miles ab obsidionis angustia, certaminis campum quaesivit. Ubi autem subjuganda Regi proprio multa adversariorum colla conspexit, subire bellum vel cum morte non timuit: sicut ipse cum Hierosolymam pergeret, cumque discipuli, passione illius per prophetiam præscita, prohiberent, sibi metipsum attestatur, dicens: *Ego non solum alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum pro nomine Domini Iesu.* Neque enim facio animam meam pretiosorem quam me. Qui igitur hic hostiles cuneos etiam præscita passione sua imperterritus petiit, illic de dispensatione fuisse edocuit, non de timore quod fugit. Qua in re pensandum est, quia ille labores quosdam per dispensationis iudicium laudabiliter declinat, qui pro Deo majores alios fortiter tolerat. Nam saepe ab hominibus timor debilis, cauta dispensatio vocatur: & quasi prudenter impetum declinasse se asserunt, cum fugientes turpiter in terga feruntur. Unde necesse est ut in causa Dei, cum res dispensationis agitur, merus cordis subtilissima libratione pensetur: ne per infirmitatem timor subrepat, & sese per dispensationis imaginem, rationem confingat; ne culpa se prudentiam nominet: jamque nec ad poenitentiam animus redeat, quam

do hoc quod iniquè perpetrat, virtutem vocat. Restat igitur ut in dubiis quisque deprehensus, cum qualibet sibi adversitas imminet, prius intra semetipsum contra formidinem & precipitacionem pugnet: quatenus nec formidolosè se subtrahat, nec precipitanter opponat. Valde enim præceps est, qui semper se adversis objicit; & valde pavidus, qui semper abscondit. Sed hæc melius in bellis spiritalibus discimus, si formam exercitij à corporalibus bellis trahamus. Non enim ille dux sapiens est, qui semper contra hostiles cuneos exercitum præceps admovet: neque ille dux fortis, qui semper hunc ab hostis facie cavendo subducit. Scire namque dux debet modò ab hostili impetu exercitum cautè subtrahere, modò hostem circumfusus cornibus coarctare. Quod nimirum sollicitè perfecti prædicatores exhibent, cum modò persecutionis rabiem declinantes, noverunt sapienter, sed non enerviter cedere: modò autem persecutionis impetum contemnentes, noverunt ei fortiter, sed non precipitanter obviare. Quia autem sanctus vir cum congruente cernit, ictibus pectus objicit, & venientia jacula vel moriens retundit, rectè dicitur: [*In occursum pergit, armatis.*] De quo adhuc bene subditur: [*Contemnit pavorem, nec cedit gladio.*] Videamus quomodo gladios enumerans, calcat. Ait enim: *Quis nos separabit à charitate Dei: tribulatio, an angustia, an fames, an persecutio?* In pavore autem ventura pœna metuitur: in gladio verò jam dolor de præsentis percussione sentitur. Quia ergo vir sanctus ventura adversa non metuit, pavorem despicit: quia verò nec superveniente percussione vincitur, nequaquam gladiis cedit. Contra hunc itaque equum tot sunt gladij hostium, quot genera persecutionum; quæ cuncta obvians superat, quia amore vitæ sese ad interitum parat. Sed quia tam robustissimum pectus quomodo se jaculis opponat audivimus: nunc quid ab adversariis agatur audiamus. Sequitur: [*Super ipsum sonabit pharetra.*] In Scriptura sacra pharetra nomine aliquando justum Dei occultumque consilium: aliquando verò clandestina pravorum machinatio designatur. Per pharetram justum Dei occultumque consilium exprimitur, sicut idem beatus Job superiore parte testatur, dicens: *Pharetram enim suam aperuit, & afflixit me.* Id est, occultum suum consilium detexit, & publica me percussione vulneravit. Sicut enim in pharetra sagitta, sic in occulto Dei consilio latent sententiæ: & quasi ex pharetra sagitta educitur, quando ex occulto consilio apertam Deus sententiam jaculatur. Pharetra quoque nomine pravorum machinatio designatur, sicut per Prophetam dicitur: *Paraverunt sagittas suas in pharetra, ut sagittent in obscuro rectos corde.* Iniqui enim cum dolos, quos bonis excogitant, secretis machinationibus occultant, quasi in pharetra sagittas parant, & in hac præsentis vitæ caligine, velut in obscuro, rectos corde feriunt; quia malitiosa eorum jacula & sentiri per vulnus possunt, & tamen venientia deprehendi non possunt. Igitur quia equus Dei nulla adversitate terretur, eique quò magis obviatur, eò vi intentionis suæ super armatos hostes ferventior ducitur: persecutores ejus, qui se etiam ferientes vinci sentiunt, turbati ad consilium revertuntur, dolos præparant, & velut ex longinquo mittendo vulnera occultant. Unde nunc rectè dicitur.

Quod sancti viri nec insidiis, nec minis, nec disputationibus, nec panis terrentur.

CAPUT XV.

Super ipsum sonabit pharetra:] ut cum ex absconsa machinatione longè feriant, cui apertis

congressionibus inaniter appropinquant. Hæc tunc super equum Dei pharetra sonuerat, cum quadraginta viri, qui in ejus mortem conjuraverant, educi de carcere Paulum quærebant: ut consiliorum suorum ictibus quasi clam sagittarum dolo interficerent, quem congressione persecutionis publicæ superare nequaquam possent. Pharetra ergo sonuit; quia occulta machinationis ad Paulum causa pervenit. Quamvis si vigilanter quarimus, adhuc in pharetra sonitu aliquid subtilius invenimus, adhuc enim adversarij consilia contra bonos ineunt, pravis inventionibus innuntur, ad excogitandos dolos se conferunt: sed tamen qui eosdem dolos prode bonis debeant, ipsi insunt, latenter ipsi transmittunt: ut crudelis suppliciorum præparatio quasi furtim innotescit, amplius timeatur: & audientis animum plus suspecta vulnera, quam percepta perturbent. In pharetra enim sagitta dum latent & sonant, mortem etiam non visæ denunciant. Pharetra ergo contra equum sonitum reddit, cum contra prædicatorem sanctum occulta pravorum machinatio consilium suum, quod fraudulenter operit, fraudulentius innotescit: ut præmissis minis quasi ex sonitu pharetra terreat, cum prædicator Dei apertas contumelias velut cominus ferientia jacula non formidat. Cum verò eisdem minis minimè terretur, mox persecutorum crudelitas ad supplicia manifesta perducitur. Unde bene postquam dictum est: [*Super ipsum sonabit pharetra;*] illico additur: [*Vibrabit hasta.*] Contra prædicatorem Dei post pharetra sonitum hasta vibratur, quando post terrores exhibitos è vicino jam feriens aperta pœna producitur. Prædicatores autem sancti, cum pro defensione fidei supplicia subeunt, ad eandem fidem, quos valent, rapere & inter verbera non desistunt: & cum patienter vulnera suscipiunt, prudenter contra corda infidelium sagittas prædicationis reddunt. Unde nonnumquam agitur, ut ipsi qui in persecutione sæviunt, non tam doleant quòd cor prædicatoris non emolliunt, quàm quòd per ejus verba etiam alios amittant. Quia igitur cum feriendo non superant, ne fortasse & alij qui illum audiunt, se derelinquant; mox contra loquentis verba sicutum responsionis parant. Unde cum diceret: [*Vibrabit hasta;* rectè subjungit: [*Et clypeus.*] Persecutor enim sæviens postquam prædicatoris corpus supplicio percutit, auditorum cor quasi clypeo verbis suæ disputationis munit. Vir igitur sanctus ut feriri debeat, hasta vibratur: sed ne audiri possit, clypeus opponitur. Habent namque defensores Dei in prelio sagittas suas, quas eò citius in auditorum corda injiciunt, quòd illas de spiritali arcu, id est, de intima cordis tensione distringunt. His quippe se in bello fidei Paulus armaverat, cum dicebat: *Laboro usque ad vincula quasi malè operans; sed verbum Dei non est alligatum.* Ac si diceret: *Hastà quidem suppliciorum ferior, sed tamen verborum sagittas emittere non desisto. Vulnera crudelitatis accipio, sed cor infidelium vera loquendo transfigo.* Dicitur ergo: [*Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta & clypeus.*] Contra equum quippe Dei, quia pravorum consilia perstreperunt, pharetra sonat: quia aperta pœna exquiritur, hasta vibratur: quia verò ei etiam disputatione resistitur, clypeus antefertur. Sed numquid à fervore suo per ista compefcitur? Vir enim sanctus quòd majore persecutione premitur, eò ad prædicandam veritatem acrius instigatur: & cum patienter persecutores tolerat, ardentè ad se auditores trahere festinat. Unde & bene adhuc de equo Dei subditur: [*Fervens & fremens sorbet terram, nec reputat subire sonare clangorem.*] Primo namque peccanti homini dictum est: *Terra es, & in terram ibis.*

Tuba autem clangunt, cum hujus sæculi potestates loqui sanctos terribiliter prohibent. Quia igitur prædicator zelo sancti Spiritus inflammatus, vel inter supplicia positus, quoslibet peccatores ad se trahere non desistit, fervens proculdubio terram forbet: quia verò persecutorum minas minime formidat, clangorem tubæ sonare non reputat. Tuba enim, quæ discrimen belli denunciat, quid est aliud quàm vox secularium potestatum, quæ contempta resistens mortis certamen parat? Hæc à principibus sacerdotum tuba sonuerat, cum flagellatos Apostolos de Deo loqui prohibebant, sicut scriptum est: *Cæsis denunciaverunt, ne loquerentur in nomine Iesu.* Sed videamus quomodo equum Dei clangor tubæ non terreat. Ait Petrus: *Obedire oportet Deo magis quàm hominibus.* Qui aliis quoque persequentibus dicit: *Non enim possumus quæ vidimus & audivimus, non loqui.* Equus ergo clangorem tubæ non metuit; quia prædicator egregius defectis potestatis sæculi, nullos minarum sonitus pertimescit. Videamus alium equum Dei quomodo terram forbeat, quomodo nullus eum tubæ terror attingat. Scriptum est: *Superaverunt quidam ab Antiochia & Iconio Iudæi, & persuasis turbis lapidantes Paulum traxerunt extra civitatem, æstimantes eum mortuum esse. Circumdantibus autem eum discipulis, surgens intravit civitatem: & postero die profectus est cum Barnaba in Derben. Cumque evangelizasset civitati illi, & docuissent multos, reversi sunt Lysitum & Iconium & Antiochiam, confirman-tes animas discipulorum.* Perpendamus ergo quæ hunc possent equum minæ compescere, quando eum ab intentione sua non valet mors ipsa prohibere. Ecce lapidibus obruitur, nec tamen à veritatis sermone removetur. Occidi potest, superari non potest: velut extinctus extra urbem projicitur, sed intra urbem die alio illæsus prædicator invenitur. O quàm fortis huic viro inest infirmitas! ô quàm victrix pœna! ô quàm dominatrix patientia! Ad arguendum repulsione provocatur, ad prædicandam salutem plagis erigitur, ad propellendam laboris lassitudinem pœna refocetur. Quæ ergo hunc adversitas superet, quem pœna fovet? Sed equus iste Dei & pharetra sagittas despicit, quia malitiæ consilia contemnit: vibratam hastam superat, quia & contra apertæ persecutionis vulnera pectus firmat: oppositum clypeum rumpit, quia disputationem resistentium ratiocinando subigit: terram forbet, quia peccatores in suo corpore exhortando convertit: clangorem buccinæ sonare non reputat, quia vocem quamlibet terribilis prohibitionis calcet. Minus est autem quod dicitur, quia fortis perseverat in laboribus: adhuc, quod majus est, exultat in adversis. Unde sequitur.

Quod sancti etiam inter tormenta absque ulla formidine sint: & potestatis hujus sæculi prædicare prohibentibus, non desistunt: nec tam terrentur periculo, quam gloriantur victoria triumpho: & quasi odorantes bellum, præparant se in persecutionis occursum.

CAPUT XVI.

V*bi audierit buccinam, dicit, Vah.*] Quibus profectò verbis & illud ostenditur, quòd hoc loco à Domino de equo irrationabili nil dicitur. Neque enim vah dicere brutum animal potest: sed dum asseritur dicere, quod omnino dicere non valet, innuitur quem designet. Vah quippe sermo exultationis est. Equus ergo audità buccinā, vah dicit; quia fortis quisque prædicator cum certamen passionis sibi propinquare considerat, de exercitio virtutis exultat: nec terretur pugnæ periculo, quia victoriæ lætatur triumpho. Equo itaque est vah dicere, prædicatorum sanctum de ventura passione

A gaudere. Sed si prædicator fortis gloriam passionis appetit, si discrimen mortis subire pro Domino lætus quærit: quid est quòd ipsi fortissimo prædicatori, qui ex robusto corde virtutem traxit nominis, Petro Veritas dixit: *Cum senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quo non vis.* Quomodo de passione gaudet, qui cinctus ab alio, ire quò ducitur non vult? Sed si pensamus qualiter animus appropinquante passione & mortis metu quatitur, & tamen de venturo regni præmio lætatur, intelligimus quomodo gloriosi certaminis subire periculum volens nolit: quia & in morte considerat quod tolerans paveat, & in fructu mortis aspicit quod appetens quærat. Videamus Paulum quomodo amet quod refugit: quomodo refugiat quod amat. Ait enim: *Desiderium habens dissolvi, & cum christo esse.* Et, *Mihi vivere Christus est, & mori lucrum.* & tamen dicit: *Qui sumus in hoc habitaculo, ingemiscimus gravati; eo quod nolumus expoliari, sed superæstiri, ut absorbeatur quod mortale est à vita.* Ecce & mori desiderat, & tamen carne expoliari formidat. Cur hoc? Quia etsi victoria in perpetuum lætificat, ipsa nihilominus ad præsens pœna perturbat: & quamvis vincat amor subsequenti muneris, tangit tamen non sine mœrore animum pulsus doloris. Sicut enim vir fortis, cum vicino jam belli certamine armis accingitur, & palpat & festinat, tremat & sevit; quasi pavere per pallorem cernitur, sed per iram vehementer urgetur: ita vir sanctus, cum passioni se propinquare conspiciat, & naturæ suæ infirmitate concutitur, & spei suæ soliditate roboratur; & de vicina morte trepidat, & tamen quòd moriendo verius vivat, exultat. Ad regnum quippe non potest nisi interposita morte transire: & idcirco confidendo quasi ambigit, & quasi ambigendo confidit; & gaudens metuit, & metuens gaudet: quia scit quòd ad bravium quietis non perveniat, nisi hoc quod interiacet, cum labore transcendat. Sic nos, cum morbos à corpore repellere cupimus, tristes quidem amarum purgationis poculum sumimus: certi autem de subsequenti salute gaudemus. Quia enim pervenire corpus aliter ad salutem non valet, in potu libet etiam quod tædet. Cumque amaritudini inesse vitam animus conspiciat, mœrore turbatus hilarescit. Dicatur ergo: *[Vbi audierit buccinam, dicit, Vah.]* quia prædicator fortis cognito certaminis nuntio, etsi ut homo ad vim percussione trepidat, per spei tamen certitudinem ad præmium remunerationis exultat. Sed nequaquam ad hoc passionis bellum inconcussus existeret, nisi eandem passionem intenta cogitatione meditando præveniret. Malum namque quod consilio prævenitur, decertanti contra se animo ex ratione subjicitur: quia tantò quisque minus adversitate vincitur, quantò contra illam præsciendo paratus invenitur. Sæpe enim grave timoris pondus usu levigatur: sæpe mors ipsa sicut inopinata perturbat, ita deliberatione præventa lætificat. Unde & rectè de hoc equo subjungitur: *[Procul odoratur bellum.]* Ac si apertius dicatur: Idcirco quodlibet certamen exsuperat, quia mentem certamini ante certamen parat. Bellum quippe procul odorari, est adversa quæque longè adhuc posita cogitando prænoscere, ne fortasse valeant improvisa superare. Hoc bellum procul odorari discipulos Paulus admonebat, cum diceret: *Vosmetipsos tentate si estis in fide, ipsi vos probate.* Ac si apertè præciperet, dicens: *Persecutionum certamina ad mentem reducite, & cordis vestri intima atque occulta pensantes, quales inter supplicia existere valeatis, invenite.* Hoc bellum sancti viri procul odorantur, quando & in pace universalis Ecclesiæ positi, vel hæreticorum bella, vel imminencia ab infidelibus persecutionum tormenta conspiciunt. Qui dum rectè vivunt, sæpe pro bonis mala recipiunt, detractionum contum-

lias æquanimiter ferunt; ut si persecutionis occasio suppetat, tantò illos fortiores aperti hostes inveniunt, quantò eos & intra Ecclesiam fallorum fratrum jacula non expugnant. Nam qui à statu patientiæ ante linguarum vulnera corruit, ipse sibi testis est, quia contra manifestæ percussiones gladios non subsistit. Quia ergo vir Dei exercitatus præsentibus contra ventura, & exercitatus minimis contra majora nititur: rectè de equo Dei dictum est, quòd bellum procul odoratur. Sequitur:

[*Exhortationem ducum, & ululatum exercitus.*]
 Duces aduersæ partis, sunt erroris auctores, de quibus per Psalmistam dicitur: *Effusa est contentio super principes eorum, & seduxerunt eos uana eorum, & errare fecit eos in inuio, & non in uia.* De quibus per semetipsam Veritas dicit: *Cactus si caco ducatum præbet, ambo in foveam cadunt.* Hos autem

duces exercitus sequitur, pravorum scilicet turba, quæ iniquis eorum præceptionibus famulatur. Notandum quoque, quòd duces exhortari, exercitum uerò dicit ululare: quia uidelicet hi, qui infidelibus uel hæreticis præfunt, prava quæ teneri præcipiunt, quasi ex ratione persuadent. Turba uerò eis subdita, quia sine iudicio eorum uoces sequitur, dum per confusionis insaniam perstrepat, bestialiter mente ululare perhibetur. Lupis quippe propriè ululatus conuenit. Et quia cateruæ reproborum contra uitam moresequæ fidelium sola rapacitate inhiant, quasi per ululatum clamant. Equus ergo Dei exhortationem ducum, & ululatum exercitus procul odoratur, dum sanctus quisque prædicator longè antè considerat, quid uel auctores errorum contra electos ualeant præcipere; uel turba eis subdita quàm possit immaniter insanire. Hanc exhortationem ducum odorabatur Paulus, cum diceret: *Per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.* Hunc ululatum exercitus odorabatur, dicens: *Intrabunt post discessionem meam lupi graves in uos.* Exhortationem ducum odoratus est Petrus, cum de quibusdam discipulis admoneret, dicens: *In auaritia siliis uerbis de uobis negoriabuntur.* Ululatum quoque exercitus odorabatur, cum præmitteret, dicens: *Et multi sequentur eorum luxurias, per quos uia ueritatis blasphematur.*

Quòd ea quæ de equo Dei dicta sunt, moraliter ad unumquemque militem Christi referri possunt.

CAPUT XVII.

Igitur quia sanctus quisque prædicator atque in persecutionis bello dux fidei, qualem se possit exhibere narravimus; nunc sub huius equi specie unumquemque Christi militem describamus: ut & qui ad prædicationis culmen necdum se peruenisse considerat, hac tamen uoce Dominica, si iam bene vivere cœperit, expressum se esse cognoscat: quatenus hinc colligat quantum Deo notus sit, si ad maiora pervenerit, quem signanter Deus eloqui nec in minimis prætermittit. Singula itaque quæ de equo dicta sunt, repetentes, intimemus quomodo miles Dei à primæua conversatione proficiat: quomodo à minimis ad maiora succrescat, uel quibus gradibus ab infimis ad superna perveniat. Dicitur ergo: [*Numquid præbebis equo fortitudinem: aut circumdabis collo eius hinnitum?*] Unicuique animæ, cui Dominus misericorditer præsidet, ante omnia fidei fortitudinem præbet, de qua Petrus ait: *Adversarius uester diabolus, sicut leo rugiens, circumspiciens quem deuoret, cui resistite fortes in fide.* Huic autem fortitudini hinnitus jungitur, dum fit quod scriptum est: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Sequitur: [*Numquid suscipietis cum quasi locustas?*] Unusquisque qui Deum

sequitur; in ipso suo exordio ut locusta suscitatur; quia etsi in quibusdam actionibus locustarum more flexis poplitibus terræ inhæret, in quibusdam tamen expansis alis sese in aëra suspendit. Conversionum quippe initia, bonis moribus malisque permixta sunt; dum & nova iam per intentionem agitur, & uetus adhuc uita ex usu retinetur. Tantò autem minus permixtis interim malis lædimur, quantò contra illa quotidie sine cessatione pugnamus. Nec suos nos iam culpa vindicat, cuius pravo usui nostra sollicita mens resultat. Minus itaque nobis inchoantibus terrena opera efficiunt; quia in nobis diutius demorari prohibentur. Proinde quoniam in ipso nostræ conversionis initio infirma quædam piè de nobis Dominus tolerat, ut nos quandoque

ad caelestia ex perfectione perducatur, quasi locustas nos in exordio suscitatur: quia etsi in volatu virtutis subleuatur, non tamen de terreni operis casu desperat. Sequitur: [*Gloria narium eius terror.*] Pro quòd non uisa res odore deprehenditur, non immeritò narium nomine, spei nostræ cogitationes exprimentur: quibus uenturum iudicium, quod etsi oculis adhuc non cernimus, jam tamen sperandoprauidemus. Omnis autem qui bene vivere incipit, audiens quòd per extremum iudicium iusti ad regnum uocentur, hilarescit: sed quia quædam mala adhuc ex reliquiis sibi inesse considerat, hoc ipsum iudicium, de quo exultare inchoat, appropinquare formidat. Vitam quippe suam bonis malisque permixtam conspiciat, & cogitationes suas aliquo modo spe & timore confundit. Nam cum audit quæ sint regni gaudia, mox mentem lætitia subleuatur: & rursus cum respicit quæ sint gehennæ tormenta, mox mentem formido perturbat. Bene ergo gloria narium eius terror dicitur; quia inter spem & metum positus, dum futurum iudicium mente conspiciat, hoc ipsum timet unde gloriatur. Ipsa ei sua gloria terror est: quia inchoatis iam bonis, spe de iudicio lætus est; & necdum finitis omnibus malis, perfectè securus non est. Sed inter hæc sollicitè ad mentem reuertitur, & procellas tantæ formidinis reuolvens, seque in solius pacis tranquillitate disponens, totis uiribus à districto iudice inueniri liber conatur. Seruile quippe æstimat Dominicam præsentiam formidare: ac ne conspectum patris metuatur, illa agit per quæ se filium recognoscat. Dicit ergo iudicem tota expectatione diligere: atque, ut ita dixerim, timendo renuit timere. Orii autem cordi formidinem pro carnali actione considerat: & idcirco ante omnia carnem forti edomatione castigat. Unde postquam dictum est: [*Gloria narium eius terror;*] re-

Hier. in
 Tob. 29.
 ètè subjungitur: [*Terram ungula fodit.*] Ungula namque terram fodere, est districtè abstinentiæ carnem edomare. Quòd autem plus caro premitur, eò de caelesti spe animus securius lætatur. Unde effosa terræ aptè subnectitur: [*Exultat audacter.*] Quia enim ualenter reprimat quod impugnat, audacter exultat de his, quæ in æterna pace desiderat: tantoque mens melius ad superna appetenda componitur, quantò ab illicitis arctius corpus edomatur. Unde rectè per Salomonem dicitur: *Diligenter ex-*

Prov. 24. 6
 erce agrum tuum, ut postea ad fides domum tuam.
 Ille quippe bene mentis domum ædificat, qui prius agrum corporis à spinis uictorum purgat: ne si desideriorum sentes in carnis agro proficiant, intus tota uirtutum fabrica fame boni operis crescente destruat. In ipso autem quisque belli certamine positus, tantò subtilius fraudem hostium conspiciat, quantò & districtius corpus proprium quasi quemdam hostium adiutorem premit. Unde & post contritionem corporis, post lætitiæ cordis rectè subjungitur: [*In occursum pergit armatis.*] Hostes armati, sunt immundi spiritus, innumeris contra nos fraudibus accincti. Qui cum suadere nobis iniqua nequeunt, ea sub uirtutum specie nostris obtutibus

opponunt, & quasi sub quadam arma se contegunt, ne in sua malicia à nobis nudi videantur. Quibus armatis hostibus in occursum pergitur, quando eorum insidias longè prævidemus. Effosâ igitur terrâ armatis hostibus in occursum pergere, est edomitâ carnis superbiâ, dolos immundorum spirituum mirabiliter explorare. Effosâ terrâ armatis hostibus in occursum pergere, est devictâ carnali nequitia contrâ spiritalia vitia certamen subire. Nam qui adhuc secum enerviter pugnat, frustra contra se bella extra posita suscitât. Qui enim semetipsum carnalibus subjugat, quomodo spiritalibus vitiis refutat? Aut quomodo de labore externi certaminis triumphare appetit, qui adhuc apud semetipsum domestico libidinis bello succumbit? Vel certè armatis hostibus in occursum pergitur, quando per exhortationis studium, eorum insidias & in alieno corde prævenimus. Quasi enim ex loco in quo sumus, ad locum alium obviam hostibus venimus, quando nostrâ curâ ordinatè postpositâ, accessum immundorum spirituum à proximi mente prohibemus. Unde sitplerumque, ut hostes callidi militem Dei jam de intestino bello victorem, tantò de semetipso terribiliùs tentent, quantò illum contra se & in alieno corde prævalere fortiter vident: ut dum illum ad se tuendum revocant, aliena corda liberiùs quâ exhortatione ejus protegebantur, invadant. Cumque eum superare non possint, saltem occupare conantur; quatenus dum miles Dei de semetipso concutitur, non ipse, sed is quem defendere confueverat, perimatur. Sed mens in Deum immobiliter fixa, tentationum impetum despicit: nec cujuslibet terroris jacula pertimescit. Supernæ enim gratiæ fretus auxilio, sic vulnera infirmitatis suæ curat, ut aliena non deserat. Unde & bene de hoc equo subjungitur: [Contemnit pavorem, nec cedit gladio.] Contemnit pavorem; quia nullius tentationis formidine ad hoc usque terretur ut taceat. Nec cedit gladio: quia est violenta illum tentatio percutit, à cura tamen proximi non repellit. Unde & Paulus exemplum nobis invictæ conversationis infirmans, & quos ab hoste gladios suscipiat dicit; & quomodo eisdem gladiis non cedat, ostendit. Omni enim jam carnalis operis pugna superata, carnalis tentationis gladium ab hoste susceperat, qui dicebat: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. & captivum me ducentem in lege peccati, que est in membris meis.* Sed eidem gladio, quem in se vicerat, etiam in aliis non cedebat, cum profectò proximis diceret: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore ad obediendum desideriis ejus.* Et rursum: *Mortificate membra vestra, que sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam.* Gravis illum tentationum gladius feriebat, de quibus ipse ait: *In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in moribus frequenter.* A *Judeis quinquies quadragenas unam minus accepi: ter virgis castus sum: semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, & cetera, quæ ipse tolerare potuit, & nos enumerare lassamur.* Sed quomodo eidem gladio in proximi dilectione non cedat, post multa ipse subjungit: *Præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum.* Equus ergo Dei gladio percutitur, nec tamen percussione eadem à cursu prohibetur; dum fortis spiritalis certaminis miles & ipse vulnera ab hoste suscipit, & tamen ad salutem alios stringit. Sed erga tam durum celestis militis pectus antiquus hostis tantò acutiora spicula perquirunt, quantò se despici robustiùs conspiciunt. Unde & sequitur: [Super ipsum sonabit pharetra, vibrabit hasta & clypeus.] Quia enim videt sancte mentis studium contra se & aliis prodesse, multiplicata hanc satagit ten-

tatione confodere. Unde sæpe contingit, ut hi qui regendis aliis præfunt, tentationum certamina fortiora patientur: quatenus corporalium more bellorum dum dux ipse ad fugam vertitur, resistentis exercitus constipata unanimitas sine labore dissipetur. Hostis itaque callidus contra celestem militem diversa percussionum vulnera exquirens, modò ex pharetra per insidias eum sagittâ vulnerat, modò ante ejus faciem hastam vibrat: quia videlicet vitia & alia sub virtutum specie contegit, & alia ut sunt aperta ejus oculis opponit. Ubi enim infirmari Dei militem conspiciat, illic fraudis velamina non requirit. Ubi autem sibi resistere fortem considerat, illic contra vires proculdubio dolos parat. Nam cum infirmum quempiam in carnis illecebra videt, apertè speciem corporis quæ concupisci valeat, ejus obtutibus objicit. Si autem fortasse validum contra avaritiam cernit, importunè ejus cogitationibus domesticorum suorum inopiam suggerit: ut dum mens ad provisionis curam quasi piè flectitur, seducta furtim in rerum ambitu iniquè rapiatur. Equum ergo Dei sagitta per insidias impetit, quando ei hostis callidus sub virtute vitium abscondit. Hasta autem cominus vulnerat, cum manifesta nequitia etiam scientem tentat. Sæpe verò celesti militi uno eodemque tempore utrumque ab hoste objicitur; ut in qualibet una percussione perimatur. Dolosus namque adversarius simul ferire nititur, & apertè sæviens, & in insidiis latens: ut dum de occulto sagitta metuitur, minùs ante faciem hasta timeatur; vel dum ante faciem hasta resistitur, nequaquam ex occulto veniens sagitta videatur. Sæpe enim tentationem proponit libidinis: & subito fraudulentius cessans, elationem suggerit de servata castitate. Et sunt nonnulli, qui dum multos ex castitatis arce in elationis foveam cecidisse conspiciunt, vitæ suæ custodiam negligentes, in immunditiam libidinis demerguntur. Sunt verò è diverso nonnulli, qui dum libidinis immunditiam fugiunt, per castitatis culmen in voraginem elationis ruunt. Quasi ergo apertè feriens hasta, est culpa de vitio: & quasi ex occulto vulnerans de pharetra sagitta, est culpa de virtute. Sed equus Dei & ante faciem hastam superat, cum libidinem calcat: & à latere sagittam circumspicit, cum in castitatis munditia se ab elatione custodit. Unde & bene inter utraque certanti per Salomonem dicitur: *Dominus erit in latere tuo, & custodiet pedem tuum ne capiaris.* Pes namque in anteriora tendit. Anteriora autem non videt, qui ea quæ sunt à latere conspiciat. Rursumque qui pedis custodiam prævidens anteriora cernit, circumspicionem lateris deserit. Dum verò ante faciem positæ virtutis aliquid agimus, quasi quòd pes debeat poni prævidemus: sed dum ex virtute eadem furtim culpa suboritur, quasi dum in anteriora respicitur, ad sagittam latus nudatur. Sæpe verò dum suborientem culpam metuimus, virtutem quæ agenda est, declinamus: & quasi dum latus circumspicitur, nequaquam cernitur pes in anteriora quomodo ponatur. Bene ergo dicitur: *Dominus erit in latere tuo, & custodiet pedem tuum ne capiaris:* quia miles Dei divinæ gratiæ clypeo protectus, & quæ ex latere possint prodire circumspiciendo considerat, & gressum ante faciem ferre proficiendo non cessat. Cui fraudulentus hostis invidens, quia per pharetram & hastam nequaquam se prævalere conspiciat, clypeum opponit: ut si resistentis pectus feriendo non perforat, saltem quibusdam objectionibus proficientis iter intercludat. Quasdam namque difficultates ipsis ejus conatibus objicit: & cum superare non valet, vel resistit. Sed quid contra tot argumenta bellorum equus Dei agat audiamus: [Fervens & fremens sorbet terram, nec reputat tubæ sonare clangorem.] Contra equum clangor tubæ insonat, quando electi mentem in eo quod agit fortiter, è vicino quædam po-

29.

* al. f. inimus.

Hierony. in Iob 39.

Rom. 7. d

Rom. 5. b

Coloss. 3. a

2. Cor. 11. f

Ibi.

30.

LIBRARIUS

fit culpa terribiliter tentat. Sed fervens & fremens sorbet terram; quia nimio ardore semetipsum discutit; & quiddid in se terrenum reperit, quotidie proficiendo consumit. Et clangorem tubæ sonare non reputat: quia consideratione forti tempore vitium, quod de virtutis gloria nascitur, sollicitus declinat. Sonare enim clangorem tubæ reputaret, si fortasse propter aliud quod pravè suboritur, alia agere recta metueret. Quia ergo ad agenda fortia ante insanantia tentamenta non trepidat; in fervore suo positus, clangorem tubæ minimè formidat. Sæpe autem dum prosperari se virtutibus conspicit, ne ipsa illum virtutum prosperitas elevet, pulsati se tentationibus gaudet. Unde & aptè subjungitur: [*Vbi audieris buccinam, dicit, Vab.*] Multos enim pejus sua felicitas stravit, multos diuturna pax inertes reddidit: eoque illos inopinatus hostis gravius percudit, quò longo quietis usu negligentis invenit. Unde sancti viri cum multa se proficere virtutum prosperitate considerant, quodam dispensationis supernæ moderamine, exerceri se etiam tentationibus ea ultant: quia tantò robustius acceptam virtutum gloriam custodiunt, quantò tentationis impulsu concussi infirmitatem suam humilius agnoscunt. Equus ergo auditâ buccinâ, vah dicit: *Initium* videlicet praliorum Dei cum vim tentationis incumbere conspicit, utilitatem supernæ dispensationis considerans, ex ipsa validius adversitate confidit. Cujus adversitatis certamina idcirco illum non superant: quia nunquam improvisa tentant. Longè quippe prænotat ex unaquaque re, cuius vitii pugna succrescat. Unde & sequitur: [*Procul odoratur bellum.*] Bellum namque procul odorari, est ex causis præcedentibus, quæ vitiorum pugna subsequantur, agnoscere. Quia enim, sicut jam sæpe dictum est, odore res non visa cognoscitur: bellum procul odorari, est sicut statu narium, sic provisione cogitationum nequitias latentes indagare. De quo odoratum Dominus rectè in Ecclesiæ suæ laudibus dicit: *Nasus tuus sicut turris, quæ est in Libano.* Per nasum quoque odores fatoresque discernimus. Et quid per nasum, nisi sanctorum provida discretio designatur: Turris verò speculationis in altum ponitur, ut hostis veniens longè videatur. Rectè ergo nasus Ecclesiæ turri in Libano similis dicitur: quia sanctorum provida discretio dum sollicitè circumquaque conspicit in altum posita, priusquam veniat culpa deprehendit: eamque quò vigilanter prænotat, eò fortiter declinat. Hinc Habacuc ait: *Super custodiam meam stabo.* Hinc uniuersusque electi animam Hieremias admonens, dicit: *Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines.* Speculam quippe sibi statuere, est ventura vitiorum certamina ex alta consideratione prænoscere. Sibi que electi mens amaritudines ponit, quando & in virtutum pace constituta, dum mala insidiantia conspicit, securâ quiescere non consentit. Primo autem ne mala qualibet, secundo verò loco considerat, ne bona in cautè faciat: & postquam prava subegerit, ipsa etiam sibi subjicere recta contendit: ne si mentis dominium transeant, in elationis culpam vertantur. Quia enim, sicut superius dictum est, plerumque ex bonis per incuriam vitium mala nascuntur: vigilantibus studio contemplatur, quomodo ex doctrina, arrogantia, ex iustitia, crudelitas; ex pietate, remissio; ex zelo, ira; ex mansuetudine, torpor oriatur. Cumque bona hæc agit, quòd hi contra se hostes per hæc exurgere valeant, conspicit. Nam cum adipiscendis doctrinæ studiis elaborat, mentem sollicitè contra certamen arrogantia præparat. Cum culpas delinquentium iustè ulcisci desiderat, sagacissimè evitat ne modum iustitiæ crudelitas vindictæ transcendat. Cum pietate frænare se nititur, solerter prospicit ne qua disciplina dissolutione vincatur. Cum se recti zeli stimulis excitat, summopere providet ne plus quam necesse

A est, iræ se flamma succendat. Cum magna mansuetudinis tranquillitate se temperat, vigilanter observat ne torpore frigeat. Quia ergo spiritalis militis cogitatione omne vitium prius quam subrepre potest aspicitur, rectè de equo Dei dicitur: [*Procul odoratur bellum.*] Perpendit etiam quæ turba iniquitatum proruat, si mala ad se ingredi vel pauca permittat. Unde & sequitur: [*Exhortationem ducum, & vltularum exercitus.*] Tentantia quippe vitia, quæ invisibili contra nos prælio regnanti super se superbia militant, alia more ducum præeunt, alia more exercitus subsequuntur. Neque enim culpæ omnes pari accessu cor occupant. Sed dum majores & paucæ neglectam mentem præveniunt, minores & innumeræ ad illam se catervatim fundunt. Ipsa namque vitiorum regina superbia cum devictum plene cor ceperit, mox illud septem principalibus vitis, quasi quibusdam suis ducibus devastandum tradit. Quos videlicet duces exercitus sequitur; quia ex eis proculdubio importunæ vitiorum multitudines oriuntur. Quod melius ostendimus, si ipsos duces atque exercitum specialiter, ut possumus, enumerando proferamus. Radix quippe cuncti mali superbia est, de qua, Scriptura attestante, dicitur: *Initium omnis peccati est superbia.* Primæ autem ejus soboles, septem nimirum principalia vitia, de hac virulenta radice proferuntur: scilicet inanis gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, ventris ingluvies, luxuria. Nam quia his septem superbiæ vitis nos captos doluit, idcirco Redemptor noster ad spiritalis liberationis prælium spiritu septiformis gratiæ plenus venit. Sed habent contra nos hæc singulari exercitum suum. Nam de inani gloria, inobediencia, jactantia, hypocrisis, contentiones, pertinacia, discordia, & novitatum præsumptiones oriuntur. De invidia, odium, suffragium, detractio, exultatio in adversis proximi, afflictio autem in prosperis nascitur. De ira, rixæ, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, blasphemia proferuntur. De tristitia, malitia, rancor, pusillanimitas, desperatio, torpor circa præcepta, vagatio mentis erga illicita nascitur. De avaritia, proditio, fraus, fallacia, periuria, inquietudo, violentia, & contra misericordiam obdurations cordis oriuntur. De ventris ingluvies, inepta lætitia, securitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagantur. De luxuria, cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror autem vel desperatio futuri generantur. Quia ergo septem principalia vitia tantam de se vitiorum multitudinem proferunt, cum ad cor veniunt, quasi subsequens exercitus catervas trahunt. Ex quibus videlicet septem quinque spiritalia, duoque carnalia sunt. Sed unumquodque eorum tanta sibi cognatione jungitur, ut non nisi unum de altero proferatur. Prima namque superbiæ soboles, inanis est gloria, quæ dum oppressam mentem corrumpit, mox invidiam gignit: quia nimirum dum vani nominis potentiam appetit, ne quis hanc alius adipisci valeat tabescit. Invidia quoque iram generat: quia quantò interno livoris vulnere animus fauciatur, tantò etiam mansuetudo tranquillitatis amittitur: & quia quasi dolens membrum tangitur, idcirco opposita actionis manus velut gravius pressa sentitur. Ex ira quoque tristitia oritur; quia turbata mens quò se inordinatè concutit, eò addicendo confundit; & cum dulcedinem tranquillitatis amiserit, nihil hanc nisi ex perturbatione subsequens mæror pascit. Tristitia quoque ad avaritiam derivatur: quia dum confusum cor bonum lætitiæ in semetipso incus amiserit, unde consolari debeat, foris quærit: & tantò magis exteriora bona adipisci desiderat, quantò gaudium non habet, ad quod intrinsecus recurrat. Post hæc verò duo carnalia vitia,

Hierony.
in Job.
39.

Can. 7. b

Habac.
2. a
Hier. 31.
d

31.

vitia, id est, ventris ingluvijs, & luxuria super-
sunt. Sed cunctis liquet quod de ventris ingluvie,
luxuria nascitur, dum in ipsa distributione mem-
brorum ventri genitalia subnexa videantur. Unde
dum unum inordinatè reficitur, aliud proculdu-
bio ad contumelias excitatur. Bene autem duces
exhortari dicti sunt, exercitus ululare: quia pri-
ma vitia decepta menti quasi sub quadam ratione
se inferunt, sed innumera quæ sequuntur, dum
hanc ad omnem insaniam pertrahunt, quasi bestia-
li clamore confundunt. Inanis namque gloria de-
victum cor quasi ex ratione solet exhortari, cum
dicit: Debes majora appetere, ut quod potestate
valueris multos excedere, eò etiam valeas & mul-
tis prodesse. Invidia quoque devictum cor quasi
ex ratione solet exhortari, cum dicit: In quo illo,
vel illo minor es? cur ergo eis vel æqualis, vel su-
perior non es? Quanta vales quæ illi non valent?
Non ergo tibi aut superiores esse, aut etiam æqua-
les debent. Ira etiam devictum cor quasi ex ratio-
ne solet exhortari, cum dicit: Quæ erga te agun-
tur, æquanimitè ferri non possunt, immo hæc
patienter tolerare peccatum est: quia etsi non eis
cum magna exasperatione resistitur, contra te dein-
ceps sine mensura cumulantur. Tristitia quoque
devictum cor quasi ex ratione solet exhortari, cum
dicit: Quid habes unde gaudeas, cum tanta ma-
la de proximis portas? Perpende cum quo mæ-
ror omnes intuenti sunt, qui in tanto contra te
amaritudinis felle vertuntur. Avaritia quoque de-
victum animum quasi ex ratione solet exhortari,
cum dicit: Valde sine culpa est, quod quædam
habenda concupiscis: quia non multiplicari appe-
tis sed egere pertimescis: & quod malè alius re-
tinet, ipse meliùs expendis. Ventris quoque inglu-
vies devictum cor quasi ex ratione solet exhortari,
cum dicit: Ad esum Deus omnia munda condi-
dit; & qui satiari cibo respuit, quid aliud quàm
muneri concessio contradicit? Luxuria quoque de-
victum cor quasi ex ratione solet exhortari, cum
dicit: Cur te in voluptate tua modò non dilatas,
cum quid te sequatur, ignoras? Acceptum tempus
in desideriis perdere non debes: quia quàm citiùs
pertranseat, nescis. Si enim miserè Deus hominem
in voluptate coitus noller, in ipso humani generis
exordio masculum & feminam non fecisset. Hæc
est ducum exhortatio, quæ dum incautè ad secre-
tum cordis admittitur, familiaritèr iniqua persua-
det. Quam videlicet exercitus ululatus sequitur:
quia infelix anima semel à principalibus vitiis ca-
pta, dum multiplicatis iniquitatibus in insaniam
vertitur, ferali jam immanitate vastatur. Sed miles
Dei, quia soletèr prævidere vitiorum certamina
nititur, bellum procul odoratur: quia mala præ-
cunctia, quid menti persuadere valeant, dum, co-
gitatione sollicita respicit, exhortationem ducum
naris sagacitate deprehendit. Et quia longè præcien-
do, subsequenti iniquitatum confusionem con-
spicit, quasi ululatum exercitus odorando cogno-
scit. Igitur quia vel prædicatorem Dei, vel quem-
libet spiritualis certaminis militem descriptum equi
narratione cognovimus, nunc eundem iterum in
avis significatione videamus: ut qui per equum di-
dicimus ejus fortitudinem, etiam per avem di-
camus illius contemperationem. Quia enim per de-
scriptam equi magnitudinem audivimus quantum
contra certamina vitiorum vir sanctus per patien-
tiam tolerat; nunc per avium speciem cognosca-
mus, quantum per contemperationem volat. Se-
quitur.

Quod non est ex homine, sed ex gratia Dei, quod
veteris vitæ pennas peccator conversus ad
Deum, abjiciat.

CAPUT XVIII.

Numquid per sapientiam tuam plumescit accipi-
ter, expandens alas suas ad Austrum?] Quia
per annos singulos pennam veterem accipit: nova
nascente projiciat, ac sine intermissione plumescat,
pene nullus ignorat. Non autem hic illud plumæ
tempus dicitur, quo in nido vestitur: quia tunc
nimirum adhuc videlicet pullus ad Austrum alas
expandere non valet: sed illa annua pluma def-
cibitur, quæ laxata veteri penna renovatur. Et qui-
dem domesticis accipitribus quod meliùs plumescere
debeant humida ac tepentia loca requiruntur.
Agrestibus verò moris est, ut flante Austro alas
expandant, quatenus eorum membra ad laxandam
pennam veterem venti tepore concalescant. Cum
verò ventus deest, alis contra radios solis * exten-
sis atque percussis, tepentem sibi auram faciunt, ^{* al.} ^{expansis}
sicque apertis poris vel veteres exiliunt, vel novæ
succrescunt. Quid est ergo accipitrem in Austro
plumescere, nisi quod unusquisque sanctorum ictus
flatu sancti Spiritus concalescit, & usum vetustæ
conversacionis abjiciens, novi hominis formam su-
mit? Quod Paulus admonet, dicens: *Expoliantes Coloss. 3.*
vos veterem hominem cum actibus suis, & induentes b
novum. Et rursum: *Lucei is qui foris est noster homo*
corruptatur, tamen is qui intus est, renovatur de d
die in diem. Vetustam autem pennam projicere
est inveterata studia dolosa actionis amittere: &
novam pennam sumere, est mitem ac simplicem
bene vivendo sensum tenere. Penna namque veteris
conversacionis gravat, & pluma novæ immu-
tationis sublevar, ut ad volatum tantò leviorem,
quantò noviorem reddat. Et bene ait: [*Expandit*
alas suas ad Austrum.] Alas quippe nostras ad
Austrum expandere, est per adventum sancti Spi-
ritus nostras confitendo cogitationes aperire, ut
jam non libeat defendendo nos tegere, sed accu-
sando publicare. Tunc ergo accipiter plumescit,
cum ad Austrum alas expandit: quia tunc unus-
quisque se virtutum pennis induit, cum sancto Spi-
ritui cogitationes suas confitendo subternit. Qui
enim vetera fatendo non detegit, novæ vitæ ope-
ra minimè producit: qui nescit lugere quod gra-
vat, non valet proferre quod sublevar. Ipsa nam-
que compunctionis vis poros cordis aperit, & plu-
mas virtutum fundit: cumque se studiosè mens de
pigra vetustate redarguit, alacri novitate juvene-
scit. Dicatur ergo beato Job: [*Numquid per sa-*
pientiam tuam plumescit accipiter, expandens alas
suas ad Austrum?] id est: Numquid cuilibet ele-
cto tu intelligentiam contulisti, ut flante sancto
Spiritu, cogitationum alas expandat, quatenus
pondera vetustæ conversacionis abjiciat, & virtu-
tum plumas in usum novi volatus sumat? Ut hinc
videlicet colligat quia vigilantiam sensus in semet-
ipso ex se non habet, qui hanc ex se conferre aliis
nequaquam valet. Potest etiam per hunc accipi-
trem, renovata Gentilitas designari, ac si beato
Job apertè diceretur: Futuras virtutum plumas in
Gentilitate respice, & vetustas superbiæ pennas
amitte. Sequitur.

Quod viri contemplativi cum mente Deo excedunt,
universam corpoream creaturam
transgrediuntur.

CAPUT XIX.

Numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila,
& in arduis ponet nidum sibi?] In Scriptura sa-
N n n

era vocabulo aquila, aliquando maligni spiritus raptores animarum, aliquando presentis seculi potestates, aliquando vero vel subtilissima sanctorum intelligentia, vel incarnatus Dominus ima celeriter transvolans, & mox summa repetens designatur. Aquilarum nomine insidiatores spiritus exprimuntur, Hieremia attestante, qui ait: *Velociores sunt persecutores nostri aquilis cali.* Persecutores enim nostri aquilis cali velociores sunt, cum tanta contra nos maligni homines faciunt, ut ipsas etiam aereas potestates inventionibus malitiae praetere videantur. Aquila etiam vocabulo potestas terrena figuratur. Unde per Ezechielem prophetam dicitur: *Aquila grandis, magnarum alarum, longo membrorum ductu plena plumis & varietate, venit ad Libanum, & tulit medullam cedri, & summitatem frondium ejus evulsit.* Qua videlicet aquila quis alius quam Nabuchodonosor rex Babyloniae designatur? Qui pro immensitate exercitus, magnarum alarum: pro diuturnitate temporum, longo membrorum ductu: pro multis vero divitiis, plenus plumis: pro innumera autem terrena gloria compositione, plenus varietate describitur. Qui venit ad Libanum, & tulit medullam cedri, & summitatem frondium ejus evulsit: quia Judaeae celsitudinem petens, nobilitatem regni ejus, quasi medullam cedri abstulit: & dum tenerrimam regum prolem a regni sui culmine captivando sustulit, quasi summitatem frondium ejus evulsit. Aquila vocabulo vel subtilis sanctorum intelligentia, vel volatus Dominicae ascensionis exprimitur. Unde idem Propheta dum sub animalium specie Evangelistas quatuor se vidisse describeret, in eis sibi hominis, leonis, bovis, & aquilae faciem apparuisse testatur: quartum proculdubio animal Ioannem per aquilam designans, qui volando terram deseruit, quia per subtilem intelligentiam interna mysteria Verbi videndo penetravit. Cui nimirum propheticae sententiae ipse quoque Joannes in revelatione sua de semetipso non dissonat, dicens: *Animal primum simile leoni, secundum animal simile vitulo, tertium animal habens faciem quasi hominis, quartum animal simile aquilae volanti.* Et quamvis singula ad unumquemque Evangelistam recte conveniant, dum alius humanae nativitate ordinem, alius per mundi sacrificii mactationem, quasi vituli mortem, alius potestatis fortitudinem quasi leonis clamorem insinuat, alius nativitatem Verbi intuens, quasi ortum solem aquilae aspectat: possunt tamen haec quatuor animalia ipsum suum caput, eujus sunt membra, signare. Ipse namque & homo est, quia naturam nostram veraciter suscipit: & vitulus, quia pro nobis patienter occubuit: & leo, quia per divinitatis fortitudinem susceptae mortis vinculum rupit, & ad extremum aquila, quia ad caelum, de quo venerat, rediit. Homo ergo nascendo, vitulus moriendo, leo resurgendo, aquila ad caelos ascendendo vocatus est. Sed hoc loco aquilae nomine, subtilis sanctorum intelligentia, & sublimis eorum contemplatio figuratur. Cunctarum quippe avium visum acies aquilae superat, ita ut solis radius fixus in se ejus oculos nulla lucis suae coruscatione reverberans claudat. Ad praecipuum ergo Dei elevatur aquila, dum iustionibus divinis obtemperans, in supernis suspenditur fidelium vita. Quae & in arduis nidum ponere dicitur: quia desideria terrena despiciens, spe jam de caelestibus nutritur. In arduis nidum ponit: quia habitationem mentis suae in abjecta & infima conversatione non construit. Hinc est quod Cinaxo Balaam prophetante dicitur: *Robustum quidem est habitaculum tuum, sed si in petra posueris nidum tuum.* Cinaxus namque, possessor interpretatur. Et qui sunt qui praesentia possident, nisi hi qui ingenio sapientiae secularis cal-

lenti? Qui in hoc veraciter robustum sibi habitaculum construnt, si per humilitatem parvuli apud semetipsos facti, in Christi sublimitate nutriantur: si semetipsos infirmos sentiant, & in excelsa humilitate cogniti, Redemptori fovendam mentis fiduciam ponant: si ima non appetant, si omne quod praeterit, cordis volatu transcendant. Videamus aquilam nidum spei sibi in arduis constructam. Ait: *Nostri conversatio in caelis est.* Et rursum: *Qui confisitavit & confedere nos fecit in caelestibus.* In arduis habet nidum: quia profecto in supernis figit consilium. Non vult mentem in ima dejicere, non vult per abjectionem conversationis humanae in infimis habitare. Tunc Paulus fortasse in carcere tenebatur, cum se confedere Christo in caelestibus testaretur. Sed ibi erat, ubi ardentem jam mentem fixerat, non illic ubi illum necessario pigra adhuc caro retinebat. Hoc namque esse speciale specimen electorum solet, quod sic sciunt praesentis vitae iter carpere, ut per spei certitudinem noverint jam se ad alta pervenisse: quatenus cuncta quae praeterfluunt, sub se esse videant, atque omne quod in hoc mundo eminet, amore aeternitatis calcent. Hinc est enim, quod sequenti se anime per Prophetam Dominus dicit: *Sustollam te super altitudines terra.* Quasi quaedam namque inferiora terra sunt, damna, contumeliae, egestas, abjectio, quae ipsi quoque amatores seculi dum per laevam viam planitatem ambulant, vitando calcare non cessant. Altitudines autem terrae sunt, lucra rerum, blandimenta subditorum, divitiarum abundantia, honor, & sublimitas dignitarum: quae quisquis per ima adhuc desideria incedit, eo ipso alta aestimat, quod magna putat. At si semel cor in caelestibus figitur, mox quam abjecta sint cernitur quae alta videbantur. Nam sicut qui in montem conscendit, eo paulisper cetera subteriacentia despiciit, quod ad altiora gressum amplius tendit: ita qui in summis intentionem figere nititur, dum annu ipso nullam praesentis vitae gloriam esse deprehendit, super terrae altitudines elevatur: & quod prius in imis desideriiis positus super se credidit, post ascendendo proficiens sibi subesse cognoscit. Quae ergo illic Dominus facturum se esse pollicetur, dicens: *Sustollam te super altitudines terra;* haec apud beatum Job solum sese facere posse testatur, dicens: *[Numquid ad praecipuum tuum elevabitur aquila, & ponet in arduis nidum sibi?]* Ac si diceret: Ut ad meum, qui quod exterius praecipio, hoc intrinsecus gratia occultae largitatis inspiro. Sequitur: *[In petris manet.]* In sacro eloquio cum singulari numero petra nominatur, quis alius quam Christus accipitur? Paulo attestante, qui ait: *Petra autem erat Christus.* Cum vero petrae pluraliter appellantur, membra ejus, videlicet sancti viri, qui illius robore solidati sunt exprimuntur. Quos nimirum Petrus Apostolus lapides vocat, dicens: *Vos tanquam lapides vivi, coedificamini deus spirituales.* Ita itaque aquila, quae ad veri solis radios cordis oculos exeret, in petris manere dicitur: quia in dictis antiquorum & fortium patrum mentis statione collocatur. Eorum quippe vitam, quos in via Dei praesente conspicit, ad memoriam reducit, atque in celsitudine illorum, fortitudini studendo, nidum sibi construit sanctae meditationis. Cumque eorum acta dictaque tacite cogitat, cum praesentis vitae gloriam in comparatione aeternae excellentiae, quam sit abjecta considerat, quasi sub se esse ima terrarum in petris residens observat. Possunt etiam petrae, sublimes virtutum caelestium potestates intelligi, quas non jam quasi more arborum huc atque illuc ventus nostrae mutabilitatis inclinat; quia velut petrae in arduis sitae ab omni motu mutabilitatis alienae sunt, & ad soliditatem fixae celsitudinis, ipsa cui inhaerent aeternitate duraverunt.

Thren. 4. d

Ezec. 17.

Ezec. 1.

Apo. 4. c

34.

Num. 24. d

Phil. 3. d

Ephes. 2. b

Ej. 1. m

Job.

1. Cor. 10. a

1. Pet. 2. i

31.

Gregorius
Moralium
Tomus

Vir itaque sanctus cum terrena despicit, more se aquilæ ad altiora suspendit, & per contemplationis spiritum sublevatus, perennem Angelorum gloriam præstolat, atque huic mundo hospes, illa appetendo quæ aspicit, jam in sublimibus figitur. Rectè ergo dicitur: *[In petris manet,]* id est, intentione cordis inter illas cælestes virtutes residet, quæ & per æternitatis suæ fortitudinem tanta jam soliditate fixæ sunt, ut in nullo culpa latere mutabilitatis varietate fluctantur. Unde & aptè sequitur: *[Et in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus.]* Qui enim sunt alii prærupti silices, nisi illi fortissimi Angelorum chori, qui quamvis non integri, sed tamen in proprio statu fixi, cadente cum suis angelis diabolo remanserunt: Prærupti enim sunt; quia pars eorum cecidit, pars remansit. Qui integri quidem stant per qualitatem meriti, sed per numeri quantitatem prærupti. Hanc præruptionem restituere mediator venit, ut redempto humano genere, illa angelica damna sarciret, & mensuram cælestis patriæ locupletius fortasse cummularet. Propter hanc præruptionem de Patre dicitur: *Proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt in ipso.* In ipso quippe restaurantur ea quæ in terra sunt, dum peccatores ad iustitiam convertuntur. In ipso restaurantur ea quæ in cælis sunt, dum illic humiliati homines redeunt, unde apostata angeli superbiendo ceciderunt. Quod verò ait: *[Inaccessis rupibus;]* nimirum qui prærupti silices, ipsi sunt inaccessibleis rupes. Cordi enim peccatorum hominum valde inaccessibleis est claritas Angelorum: quia quod ad pulchra corporalia cecidit, eò à spiritali specie oculos claudit. Sed quisquis ita contemplatione rapitur, ut per divinam gratiam sublevatus, intentionem suam jam Angelorum choris interferat, & fixus in sublimibus, ab omni se infima actione suspendat, non ei sufficit gloriam angelicæ claritatis aspiciere, nisi eum etiam qui est super Angelos, valeat videre. Sola namque ejus visio, vera mentis nostræ reflectio est. Unde cum dixisset hanc aquilam in petris manere, & in præruptis silicibus, atque inaccessibleis rupibus commorari, illico subdidit.

Eph. 1. b

* al. infirma

Quod quantumlibet quis in hac vita per speculum in enigmate Deum videat, & eum degustet, suavitatem tamen illius dulcedinis esuriat adhuc.

CAPUT XX.

IN de contemplatur escam. Id est, ex illis choris angelicis tendit oculum mentis ad contemplandam gloriam supernæ majestatis; qua non visa, adhuc esurit; qua tandem visa satiatur. Scriptum quippe est: *Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit & saturabitur.* Et rursum: *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur.* Quis verò mentis nostræ cibus sit, indicatur apertè cum dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et quia interpositione corruptibilis carnis gravati, Deum sicut est, videre non possumus, rectè subjungitur: *[Oculi ejus de longe prospiciunt.]* Quantumlibet enim in hac vita positus quisque profecerit, necdum Deum per speciem, sed per ænigma & speculum videt. E vicino autem cum respicimus, verius cernimus, cum verò longius aciem tendimus, sub incerto visu caligamus. Quia igitur sancti viri in alta se contemplatione erigunt, & tamen Deum, sicut est, videre non possunt, bene de hac aquila dicitur: *[Oculi ejus de longe prospiciunt.]* Ac si diceret: Intentionis aciem fortiter tendunt, sed necdum propinquum aspiciunt, cujus claritatis magnitudinem penetrare nequaquam possunt. A luce enim incorruptibili caligo nos nostræ corruptionis obscurat; cumque & videri aliquatenus

Esa. 53. d
Matt. 5.
ibid.

potest, & tamen videri lux ipsa, sicut est, non potest, quàm longè sit indicat. Quam si mens utrumque non cerneret, nec quia longè esset, videret. Si autem perfectè jam cerneret, perfectè hanc quasi per caliginem non videret. Igitur quia nec omnino cernitur, nec rursus omnino non cernitur, rectè dictum est; quia à longè Deus videtur. Libet ad medium Esaiæ verba deducere, atque hæc & illa quia uno spiritu proferantur, indicare. Qui cum activæ vitæ virtutes exprimeret, dicens: *Qui ambulat in iustitiis, & loquitur veritatem, qui projicit avaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere, qui obstruat aures suas ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos ne videat malum:* illico ab eisdem activæ vitæ gradibus, ad quæ contemplationis culmina ascendatur, adjunxit, dicens: *Is in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus, panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt. Regem in decore suo videbunt oculi ejus, cernent terram de longe.* In excelsis namque habitare, est cor in cælestibus ponere. Et munimenta saxorum sublimitas nostra est, cum fortium patrum præcepta & exempla respicimus, atque ab infima cogitatione separamur. Munimenta saxorum sublimitas nostra est, cum mente choris castrisque cælestibus jungimur, & insidiantes malignos spiritus stantes in arce cordis quasi subterpositos expugnamus. Tunc nobis etiam panis datur; quia in supernis erecta intentio, æternitatis contemplatione reficitur. A quæ enim nostræ fideles sunt: quia doctrina Dei quod hic per spem promittit, hoc illic in munere exhibet. Sapientia namque hujus mundi infidelis est: quia mansura post mortem non est. Aquæ nostræ fideles sunt: quia verba vitæ quod ante mortem insinuant, hoc etiam post mortem demonstrant. Regem in decore suo oculi nostri conspiciunt: quia Redemptor noster in judicio & à reprobis homo videbitur, sed ad divinitatis ejus intuentiam celsitudinem, soli qui electi sunt, sublevantur. Quasi enim quamdam scditatem Regis videre, est solam servilem formam, in qua ab iniquis despectus est, cernere. Sed ab electis in decore suo Rex cernitur: quia ultra semetipsos rapti, in ipso divinitatis fulgore oculos cordis figunt. Et quia quamdiu in hac vita sunt, illam viventium patriam, sicut est, videre non possunt, rectè adjungitur: *Cernent terram de longe.* Quod ergo hic ait: *[Elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum sibi;]* hoc illic dicitur: *In excelsis habitabit.* Quod hic dicitur: *[In petris manet, & in præruptis silicibus commoratur, atque inaccessibleis rupibus;]* hoc illic subjicitur: *Munimenta saxorum sublimitas ejus.* Quod rursus hic subinfertur: *[Inde contemplatur escam;]* hoc illic quoque subditur: *Panis ei datus est, aquæ ejus fideles sunt: Regem in decore suo videbunt oculi ejus.* Et quod hic subjungitur: *[Oculi ejus de longe prospiciunt;]* hoc illic aptè subjicitur: *Cernent terram de longe.* Consideremus quàm sublimis aquila fuerit. Paulus, qui usque ad tertium cælum volavit, sed tamen in hac vita positus, è longinquo adhuc Deum prospicit, qui ait: *Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem.* Et rursum: *Ego me non arbitror comprehensisse.* Sed quamvis æterna valde minus quàm sunt, ipse conspiciat, quamvis ea se cognoscere perfectè non posse cognoscat; infirmis tamen auditoribus ea ipsa infundere prædicando non potest, quæ videre saltem per speculum & imaginem potest. De semetipso quippe tamquam de alio loquitur, dicens: *Audivi arcana verba, quæ non licet homini loqui.* Interna ergo quamvis minima & extrema videantur, fortibus tamen prædicatoribus summa sunt, infirmis verò auditoribus incapabilia. Unde & prædicatores sancti, cum auditores suos divinitatis verbum capere non posse conspiciunt, ad sola incarnationis Dominicæ verba

Esa. 33. b

ibid.

ibid.

35.

2. Cor.

12.

1. Cor. 13.

Phil. 3. e

2. Cor. 12. a



descendant. Unde bene hic, dum sublevata in
arduis aquila longè videre dicitur, illico subin-
fortur.

*Quod dum in hac vita vivimus, nos pulli sanctorum,
sanguine Crucifixi, & morte Salvatoris
nutrimur.*

CAPUT XXI.

Pulli ejus lambunt sanguinem.] Ac si aperte dice-
retur: Ipsa quidem divinitatis contemplatione
pascitur, sed quia auditores ejus, divinitatis perci-
pere arcana nequaquam possunt, cognito crucifi-
xi Domini cruore satiantur. Sanguinem namque
lambere, est passionis Dominica infirma venerari.
Hinc est quòd idem Paulus, qui, sicut paulò antè
jam diximus, ad tertii celi secreta volaverat, di-
scipulis dicebat: *Non enim judicavi me scire aliquid
inter vos, nisi Christum Jesum, & hunc crucifixum.*
Ac si aperte hæc aquila diceret: Ego quidem escam
meam, divinitatis ejus potentiam de longe profi-
cio, sed vobis adhuc parvulis incarnationis ejus
tantummodo lambendum sanguinem trado. Nam
qui per prædicationem suam cæcitate divinitatis cel-
situdine, infirmos auditores de solo cruore crucis
edocet, quid aliud quàm sanguinem pullis præbet?
Quia verò uniuscujusque sancti prædicatoris anima
corruptione carnis exuta, ad eum mox ducitur, qui
pro nobis sponte sua in mortem cecidit, & de mor-
te surrexit, aptè de hac aquila subditur.

*Quod in Christo sancti vivificabuntur: & illuc tendit
humilitas gregis, ubi secundum carnem
est celsitudo pastoris.*

CAPUT XXII.

ET ubicumque cadaver fuerit, statim adest.] Ca-
laver quippe à casu dicitur. Et non immerito
corpus Domini propter casum mortis cadaver vo-
catur. Quòd autem hic de hac aquila dicitur: [*Ubi-
cumque cadaver fuerit, statim adest;*] hoc de egre-
dientibus animabus fieri Veritas spondit, dicens:
*Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur &
aquila.* Ac si aperte dicat: Qui caelesti sede incarna-
tus redemptor vester præsideo, electorum quoque
animas quum carne solvero, ad caelestia sublevabo.
Sed hoc quòd de hac aquila dicitur: [*Ubicumque
fuerit cadaver statim adest.*] intelligi & aliter potest.
Omnis enim, qui in peccati mortem ceciderit, non
inconvenienter poterit cadaver vocari. Quasi exani-
mis namque jacet, qui justitiæ vivificantem spiritum
non habet. Quia ergo sanctus quisque prædicator
ubi peccatores esse considerat, illuc anxie pervolat,
ut in peccati mortè jacentibus lucem vivificationis
ostendat, bene de hac aquila dicitur: [*Ubicumque
cadaver fuerit, statim adest.*] id est, illuc tendit,
ubi utilitatem prædicationis prospicit; ut ex eo
quod jam spiritualiter vivit, aliis in morte sua ja-
centibus profit, quos corripiendo quasi edit, sed
ab iniquitate ad innocentiam permutando, in sua

membra quasi edendo convertit. Ecce ipse, quem
ad testimonium jam sepe deduximus, Paulus cum
nunc Judæam, nunc Corinthum, nunc Ephesum,
nunc Romam, nunc Hispanias peteret, ut in pec-
cati mortè jacentibus, æternæ vitæ gratiam nun-
ciaret, quid se aliud, quàm esse aquilam demon-
strabat, quæ velociter omnia transvolans, ubicum-
que jacens cadaver quærebat: ut dum voluntatem
Dei lucratis peccatoribus faceret, quasi escam suam
in cadavere reperiret? Esca quippe justorum, est
converso perverforum, de qua dicitur: *Operami-
ni non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam
æternam.* Auditis itaque tot sanctorum virtutibus,
beatus Job obstupuisse intelligitur, & sub admira-
tionis terrore siluisse. Nam sequitur.

*Quod consideratio meliorum multum proficiat ad
humilitatem sanctorum.*

CAPUT XXIII.

Adjecit Dominus, & locutus est ad Job: Numquid
qui contendit cum Deo, tam facile conquiescit?
Virque qui arguit Deum, debet & respondere illi.]
Vir sanctus tanta hac dilictione flagelli non æsti-
mavit augeri sibi merita, sed de vitia rescari. Quæ
quia in se nulla cognovit, percussum injustè se cre-
didit: & percutientem profus arguere, est de per-
cussione murmurare. Considerans autem Dominus,
quòd ea quæ protulit, non ex tumore superbiæ,
sed ex qualitate collegerat vitæ; piè illum incre-
pat dicens: [*Numquid qui contendit cum Deo, tam
facile conquiescit? Virque qui arguit Deum, debet
& respondere illi.*] Ac si apertè diceret: Qui tan-
ta de tua actione locutus es, cur audirè sanctorum
vitæ siluisti? Me enim fuit arguere, de per-
cussione mea an fuerit justa dubitare. Et bona qui-
dem tua veraciter protulisti, sed hæc quòd tenderent
flagella nescisti: quia etsi non habes jam quòd cor-
rigas, habes adhuc tamen quòd crescas. In quanta ve-
rò virtutis arce quàm plurimos sublevem, me ecce
narrante cognovisti. Ipse considerabas tuam, sed
aliorum celsitudinem nesciebas. Auditis igitur alio-
rum virtutibus, si quid vales, responde de tuis. Sci-
mus autem quòd cordis sui oculum per elationis te-
nebras extinguit; qui cum recta agit, considerare
meliorum merita negligit. At contra magno humi-
litis radio sua opera illustrat, qui aliorum bona
subtiliter pensat: quia dum ea quæ ipse fecerit,
facta foris & ab aliis conspicit, eum qui de singu-
laritate intus erumpere nititur, superbiæ tumorem
premit. Hinc est, quòd voce Dei ad Eliam solum
se æstimantem dicitur: *Reliqui mihi septem millia
virorum, qui non curaverunt genna ante Baal.*
ut dum non solum se remansisse cognosceret, elationis
gloriam, quæ ei de singularitate surgere
poterat, evitare posset. Beatus itaque Job nihil
perversè egisse reprehenditur, sed de aliorum etiam
bene gestis docetur: ut dum se æquales & alios
habere considerat, ei qui singulariter summus est,
se humiliter subdat.

